DISSERTATIO POLITICA

DE

TRANSITU EXERCITUALI,

QUAM

DEO TER OPTIMO MAX. CLEMENTER MODERANTE

PRÆSIDE

VIRO

Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Conſultiſſimo atq; Excellentiſſimo,

DN. JACOBO LE-BLEU,

U. J. D. Graviſſimo, Pandectarum & Civilis Prudentiæ in Illuſtri GISSENA Profeſſ. publ. longè famigeratiſſimo, ejuſdemq; Academiæ Syndico fideliſſimo Fautore, Præceptore atq; Promotore ſuo æterno honoris & obſervantiæ cultu proſequendo,

Publicæ Eruditorum ventilationi ſiſto

CONRADUS SAMUEL SCHURTZFLEISCH

CORBACHIâS GUALDECCUS.

Ad Diem [illegible] Maji loco & tempore conſuetis.

GIESSÆ HASSORUM,

Typis CASPARIS VULPII, Anno M. DC. LXI

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VIRO GENEROSO & PRÆSTRENVO

DNO JOHAN EUTELIO,

a DIEDEN IN FURSTENSTEIN: Sereniſſimi Principis ac Domini DN. GEORGII HASSIÆ LANDGRAVII &c. Conſiliario intimo: nec non Sereniſſimi Principis ac Domini, Dni LUDOVICI HASSIÆ LANDGR. &c. Aulæ Moderatori, Literarum & literatorum fautori ſummo: Dno meo ſubmiſsè demerendo.

VIR GENEROSE & PRÆSTRENVE.

MIRum fortean Præſtrenuæ V. Generoſ. videbitur, quòd præſens meletema politicum illam Patronum adoptet: quum ego & de facie & de animo V. Gen. me incognitum eſſe, libens fatear. At mirandi omnis eximetur ſcrupulus, ſi illa æquiore mentis bilance expendat, morem hunc eſſe non morum ferventium & ad ſumma adſpirantium Thaliæ alumnorum (quorum ego pulvis & umbra ſum) ut in eorum virorum ſe inſinuent amicitias à quibus ſibi lucem fœnerari & pallentem ſuam famam irradiare ſe poſſe confidunt. Quam in rem quid Lipſius dicat, paßim notum eſt. Ille, ambio, inquit, amicitiam talium Virorum & gratiam, quos veluti ſidera quædam hujus ævi habeo, & à quibus lucem conciliare me poſſe ſcio pallenti meæ famæ. Inde ſi per ſeculorum centurias ivero, conſuetudinem hanc ſemper efflorniſſe deprehendo, ut humanioris literaturæ conſecranei illos ſuorum fœtuum literariorum deligant ſuſceptores, quos nôrunt virtute & gloriâ ſupra alios eminere. A qua haud improbandâ Virorum Mercurialium Conſuetudine ne latum unguem diſcedere volui, dum prænominatum Exercitium ex politicæ penuario depromptum, Præſtren. V. Nobilit. fores pulſare, illudq; ſibi ab eâ lucẽ & favoris favonium commodare jußi. Seu enim Genus, ſeu famã V. Generoſ. vel per tranſennam introſpiciam; illo nobiliſsima; hâc clarißima & ſuper æthera nota eſt, Gente & Mente ulli cedere neſcia, ipsâ etiam fatente invidiâ & loquente ſermone publico. Ex in ita commotus ſum, ut immortale V. Gen. nomen Muſæo huic peplo intexere debuerim, obſequia mea & debita ſubmißionis affectum publicâ hâc nuncupatione erga illam declaraturus humilimè. Quam ſubmißi animi arrham ſerenâ ut fronte præſtr. V. Gen. ſuſcipere dignetur, meisq; ſtudiis inpoſterum puppis & prora eſſe non gravetur, eſt quod mea dedicantis rogat tenuitas. Reciproci officii loco ego devota vota ad Deum pro V. Gen. incolumitate ac ſalute fundere non ceſſabo, eiq; ad Manes me obſtrictum eſſe aſſeverabo. Id quod animitus voveo, ſincereq; profero, Deus voto pondus, & dicto eventum adeſſe velit. Scribeb. in Muſ. Gieſſæ Maj. Anno 1661.

Præſtren. V. Generoſit.

Obſequioſiſſimus & obſtrictißimus.

DISSERTATIO POLITICA
De
TRANSITU EXERCITUALI.

I.

TAntę rabiei ſerpentes reperiuntur, qui noxia egerie, quicquid attigerint, amburunt; fœda proluvie, quicquid aſperſerint, contaminant, peſtilenti afflatu, quicquid perſpiraverint, venenant; flexuoſis moliminibus, quicquid cinxerint, circumretiunt. Tanti impetus torrentes, qui præcipites acti, in agros effunduntur, arbores ſternunt, domos convellunt, omnia ita præ ſe agitantes, ut conſpectum eorum fugiant, retroq; illorum cedant furori. Tantæ ſtragis flammæ, ut cuncta quæ occurrunt, inevitabili devaſtent corrumpantque incendio. His Potentiorum ſubinde, qui Tranſitum urgent, comparari exercitus poſſunt, qui adulatoriâ humilitate fallacibusq; præſtigiarum decipulis incautos imperitosq; infatuare, mente aliud volvere, aliud fronte polliceri ſatagunt, dolis, ſtructis inſidiis, ſuſpectis conſi-

conſiliis, largitionibusq́; tanquam illitis hamo cibis, & operis prædâ retibus neſcios illaqueare: per omnia artificiorum genera ad uſum temporis mobilitate ſe formare, eoque apertâ nonnunquam violentiâ prorumpere, ut ſe nexibus illorum nodis ſine diſpendio expedire nequeant, ac interim ante mors, quàm dolor, ſequatur.

2. Adeò bellandi artes excoluit avida mortalium natura, ut pro ſaburranda odii obſtinatione, explendoq; ſuo dominandi appetitu, omnia conatibus aptaverit Mechanicæ Inſtrumenta, Arithmeticas proportiones, lineasque Geometricas: ut nec ligoni parcatur, Cereris Bacchiq; uſibus deſtinato, quò in humanum ſanguinem agatur ſævius, *Franciſc. Giuglaris, in tract. Ital. de Schola Veritatis Principibus apertâ, verit. 1. pag. 426. Edit. Bononienſ.* A paucis expenditur, quod conſiderandum Regnantibus inculcat Tacitus, lib. hiſtor. 2. *An quod inchoatur Reipubl. honeſtum, ipſis glorioſum, aut promptum effectu, aut certè non arduum ſit.* Quis imperare ſibi magis, quàm obtinere in cæteros imperium contendit: Quis maximè Regium putat nolle inſervire voluptatibus, eaſque magis in poteſtate, quàm cives ſuos habere. Ne itaque partæ quieti obſiſtat Potentiorum ambitio, utque avertantur imminentia Libertati incommoda, opus magna eſt cautelâ, maturo opus eſt conſilio.

3. Qui facilè periculis objectum ſe patitur, mortem irritare in ſui perniciem videtur. Procul quæ abeſt potentia, metum incutit, vicina damnum, proxima interitum. Licitum eſſe ſibi potentes arbitrantur, quod utile eſt. Operationum circinus eſt commodum privatum. Da pedem figat in alterius ſtatu, mox omnia ſuo abſolutius adſcribuntur dominio. Ad ſedandum populi tumultum, Principis ex vultu

emicans

emicans majeſtas ſufficit. Ad impetus exterorum frenandos vix ſolumina ſufficiunt. Occaſionem indignationis procurant ſponte, ut explendæ libidinis prætextum inveniant. Non tutum à caſe juris jurandi præſtat religio, cùm multi inter mortales gaudeant perjuria perjuriis in majorem perfidiam cumulare, de quibus verè olim dictum: *Qui dum aliquid cupiens animus prægeſtit apiſci, Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt. Sed ſimul ac cupidæ mentis ſatiata libido eſt, dicta nihil metuêre, nihil perjuria curant.*

4. Hæc de Hannibale Barthol. Arnigio, Vigiliâ 2. pag. 13. Edit. Brixienſ. *Il che in Annibale, come in espreſſiſſimo eſſempio ſi può conoſcere, la cui ambitione fu di pace nemica, ſitibonda di ſangue humano, amica di ſpergiuro, di sfacciatezza, & contaminatrice di patti.* Quibus addendi verſiculi in Alexium Imperatorem concinnati: *Hoc quod Rex jurat, non longo tempore durat. Jurat & abjurat, qui de ſe non bene curat.* Quos recenſet Robertus Monachus, Hiſtor. Hieroſol. lib. 5. in Geſtis Dei per Francos, pag. 38. Edit. Hanovienſ. Interius turpes, ſpecioſi pelle decorâ, qui quandocunque ipſis libuerit, bonum *malum*, lucem *tenebras*, fidem *perfidiam* impunè nuncupant; pro re nata, *lingua juratâ mentem injuratam gerentes*: in hæc ſubinde impia vota prorumpunt: *Pulchra Laverna, da mihi fallere, da ſanctum juſtumq; videri, noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.* David Blondellus, in Geneaolog. Franc. plenior Aſſertione, in præfat. apolog. Edit. Amſtelodamenſ.

5. Prudenti hic opus eſt diffidentiâ, nec leviter in alienam manus reſignandum, ex quo, ſi ſtet voluntas, obrui vis queat Imperii. Reddant aliena pericula cautos, cùm non Regia rerum agendarum Prudentia, non honeſta utilita-

eis ratio, ſed calliditas & turpitudo plerumque domi-netur.

6. Militantia hæc Statibus mala ut ſiſtantur, primor-dialisque illorum ſervetur vigor, abſque ambiguo verborum flexu, eâ qua par eſt perſpicuâ brevitate, quid Tranſitus dicatur, an peti concedique debeat, & quæ maxime in caſu utroque libranda ſint, enarrare præfixum eſt. Dici ſi po-teſt, de quo ſermo agitatur, Tranſitus, quòd ſit facultas du-cendi per alterius territoria exercitum, juxta leges conven-tas, ratione inventa, moribus gentium probata.

7. Creſcentibus in multitudinem populis, indies inter illos enaſci cœperunt injuriæ, quibus potentiâ opibusque inæquales in mutuum ſæpe ferebantur exitium. Ita Chry-ſoſtomus Homil. 33. *Aucta ſunt*, ait, *armenta, multiplicati greges, affluxerunt divitiæ multæ, & ſtatim diſcinditur con-cordia.* Sic Abraham à fratre faciens divortium, in hæc ver-ba erupit: *Ne quaſo ſit jurgium inter me & te, & inter paſto-res meos, & paſtores tuos; fratres enim ſumus. Ecce univerſa terra coram te eſt: recede à me, obſecro: ſi ad ſiniſtram ieris, ego dextram tenebo: ſi tu dextram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam*, Geneſ. cap. 13.

8. Hinc ab occupationibus ad imperia deventum, quæ illicita non fuerunt. Cùm enim vagi & expertes legum homines agerent, interfuit totius humani generis, iis vel invi-tis neceſſitatem parendi imponi, *Ruſchenb. polit. lib. 1. cap. 5. in commentar. Ferd. Vazqu. illuſtr. quaſt. lib. 5. in præfat. num.* 104 *Edit. Francofurt.* ſubnixus autoritate Baldi, in *l. ex hoc jure. 3. ff. de J. & J.* Nec aliorum in ſe imperia recuſarunt gentes plurimæ, ut contra vim ſceleratorum ſalvæ eſſent, Alphons. Guerrerius, *in Speculo Principum, cap. 39.* Ac

licet

licet in quibuſdam adhibita in primordiis fraus fuerit, vel violentia, attamen inſecuto poſt ſubactorum conſenſu, purgata hæc, & legitima facta ſunt imperia.

9. Prima itaque hominum, multò magis Imperantium, erga ſe officium fuit, ut ſe quisque conſervaret in naturæ ſtatu, quod à nemine poſſidebatur, vel à poſſidente concedebatur, ſibi adſcriberet, adſcriptum foveret, atque adverſus turbantem auferentemque defenderet; ex quo enata eſſe armorum jura naturæ rationali convenientia, tradit admirandâ facundiâ Hugo Grotius, *in tractat. de Jure Belli & Pacis, lib. 1. cap. 2. & lib. 2. cap. 1. Edit. Pariſ.*

10. Terram, tum belli, ob denegatum prædeceſſoribus Tranſitum, tum præſcriptionis jure tutam adverſus Ammoniticas iniq; illam petentes defendit Jephte: hoc poſteros docens, ſi & in bellicis negotiis præſcriptioni vis denegetur, fore, ut nullis ferè Regibus litium bellorumq; contra quoscunque materia ignisque deeſſet. *Veteres Perſarum ac Macedonum terminos & poſſeſſa Cyro & Alexandro per vaniloquentiam*, inquit lib. 6. Annal. Tacitus, *repoſcebat Artabanus Parthorum Rex: ab Alexandro Severo ab Conſtantino & filiis ejus, omnia quæcunque ad Alexandrum imperii fuerant Perſica*, ut Herodianus, Zonaras, & Ammianus lib. 17. teſtantur. Idemque pænè ut Jephte. Lacones apud Iſocratem in Archid. *Hanc colimus terram ab Herculis poſteritate datam, Delphico Oraculo confirmatam, & incolis ejus bello ſuperatis; Non vos latet, poſſeſſiones, ſive privatas ſive publicas, præſcriptione longi temporis confirmari, Meſſenam tenuimus amplius* CCCC. *annos.*

11. Diſtinctis itaque rerum dominiis devolutoque ad

 Impe-

Imperantes territoriali jure, coarctata aliquo modo ſit primæva tranſeundi libertas. Sic per agrum alienum, qui ſervitutem non debet, ire vel agere vicino illicitum eſt, *l. 11. ff. famil. herciſc.* Nec fieri aliquid in publico poteſt, niſi ad hoc ſpecialiter impetrato regnantis Principis conſenſu, *l. 2. §. p. ff. ne quid in loc. publ.* Poſſeque terrarum dominos prohibere nedum ſuis, verùm & forenſibus, venire ad loca ſua, argumento probatur *l. Divus. ff. de ſervit. præd. ruſt. l. hæres. ff. de uſufr. l. 1. ſicuti. §. Ariſto. ff. ſi ſervit. vind.* Si ſacrorum conſulatur antiquitas, ex eâque promanantis autoritatis ratio habeatur, miſit nuntios ad Regem Edom Moſes Dux Gentis Hebrææ primarius, ut rogatione amicâ Tranſitum ſollicitarent, *Num. cap. 20. verſ. 14. & 17.* quem locum cum *cap. 2. verſ. 29. Deuteron.* conciliat & ab antinomia vindicat Dn. Waltherus, *in Harmon. Bibl. pag. 202. Edit. Norimberg.*

12. Hunc morem inter alias gentes receptum fuiſſe, ſcribit Thucydides, *hiſtor. lib. 4. pag. 305. Edit. Francofurt.* ubi ait: Braſidas autem per hoc ipſum æſtatis tempus, cum mille & ſeptingentis armaturæ gravis militibus ad obeundas res Thraciæ pergens, ubi pervenit Heracleam, quæ eſt in agro Trachinio, ubi etiam Panærus, Dorus, Hippolochidas, Torylaus, & Strophacus Chalcideoſium hoſpes ad eum Meliteam Achajæ [*oppidum*] venerunt. ipſe enim nuncium ad ſuos neceſſarios Pharſalum præmiſerat, eos rogans, ut ſe ſuaſque copias [*per Theſſaliam*] deducerent, ita demum tunc iter perrexit. Alioqui enim Theſſaliam ſine duce, præcipuè verò cum armis pertranſire difficile erat. Atque adeò pariter omnibus Græciæ res erat ſuſpecta, per finitimorum regionem veniâ non impetratâ tranſire. Perpetuóque Theſſalo-

rum

nam plebs Athenienſibus erat benevola. Quare niſi Theſſali patrio inſtituto [*Regulorum*] dominatu potius, quàm juris æqualitate uſi fuiſſent, Braſidas profectò nunquam ulterius progreſſus fuiſſet. Siquidem vel tunc aliæ contrariæ factionis [*Theſſali*] ei iter facienti, ad flumen Enipeum obviam iverunt, eumque [*tranſire*] prohibebant, & [*illum*] injuſtè facere dicebant, quòd [*Braſidas*] ſine publica totius gentis autoritate tranſiret. Illi verò, qui [*Braſidam*] deducebant, dixerunt ſe nec ipſis invitis eum traducturos: Sed cũ ad ſe repente adveniſſet, ſe pro hoſpitii neceſſitudine, quæ ſibi cum eo intercederet, eum deducere. Quin etiam ipſe quoque Braſidas dicebat ſe Theſſalorum agro, ipſiſque amicum [*illos*] tranſire & Athenienſibus hoſtibus ſuis, non autem ipſis [*Theſſalis*] bellum inferre. Nec ullas ſcire inter Theſſalos & Lacedæmonios inimicitias, quæ impedirent, ne alteri alterorum ſolo uterentur, ſeque ipſis invitis nunc [*ulterius*] non progreſſurum, nec enim poſſe. Veruntamen [*ſe ipſos*] orare ne [*Tranſitu*] prohiberetur. Illi verò his auditis abierunt. Braſidas autem hortatu ductorum, antequam plures [*ad ipſum iter*] prohibendum convenirent, nusquam ſubſiſtens curſu perrexit.

17. Sunt, qui exſufflatâ Tranſitus rogatione, vi apertâ utendum eſſe exiſtimant, ne apud eos, à quibus petita eſſet, Tranſituri fama diminuatur, periclitetur autoritas, prodito virium defectu. Quos fulcire videtur Ageſilai exemplum, qui Helleſponto trajecto, cùm per Thraciam iter faceret, nullum barbarorum populum orare, ut ſibi tranſito per ejus regionem liceret, dignatus eſt, miſſis modò ad ſingulos nunciis quæſivit, ut amicum ne an ut hoſtem ipſum tranſire vellent? Omnibus amicè excipientibus, ſoli Tral-

les, à quibus Xerxem quoque muneribus tranſeundi faculta-tem redemiſſe fama eſt, mercedem petierunt, centum ar-genti talenta, totidemq́; mulieres. Subſannavit eos Ageſi-laus, cur, inquiens, non ſtatim advenerunt, ut ea acciperent? Simulq; progreſſus occurrentes magnâ cum ipſorum ſtrage fudit. Eodem modo etiam Regem Macedoniæ quæſitum miſit: cumq́; is deliberaturum ſe reſpondiſſet, deliberet ſa-nè, inquit, nos interim progrediemur. Itaque audaciam e-jus miratus ſibique metuens Rex, ut amicum venire juſſit, *Plutarch. in vit. Ageſilai.*

14. Fortiori tamen robore munitam eſſe priorem ſententiam cenſet *Girol. Frachetta, in Seminar. Stat. & Belli, diſs. 66. pag. 482. Edit. Venet.* quòd honeſtate nitatur, melioremque bellandi ſubminiſtret titulum, ſi fruſtratis te-merè precibus denegaretur Tranſitus, ac temporis lucrum fiat, ſi conceſſus fuerit ultrò. Modus quippe honeſtus ſer-vandus eſt, non immoderata cujusque luxuria ſubſequenda, *Vlpian. in l. ex damni, 40. in princ. ff. de damn. infect.* Nam quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam, & ut generaliter dicatur, contra bonos mores fiunt, nec fa-cere nos poſſe credendum eſt, Papinianus, *in l. 15. ff. de con-dit. inſtit.* quem aſylum juris legalisque doctrinæ theſaurum vocat Spartianus in Severo.

15. Hac ductus ratione Hannibal, à Gallis petere, i-mò emere Tranſitum haud veritus fuit, de quo Livius, *dec. 3. lib. 1. hiſtor. pag. 277. Edit. Baſileenſ. Galli, quanquam bel-lum Italiæ inferre audiebant, tamen quia vi ſubactos trans Py-renæum Hiſpanos fama erat, præſidiaq́; valida impoſita, metu ſervitutis ad arma conſternati, Ruſcinonem aliquot populi con-veniunt: quod ubi Hannibali nunciatum eſt, moram magis*

quam

quam bellum metuens, Oratores ad Regulos eorum miſit, colloqui ſemet ipſum velle cum his, & vel illi propius Illiberim accederent, vel ſe Ruſcionem proceſſurum, ut ex propinquo congreſſus facilior eſſet: Nam & accepturum eos in caſtra ſua ſe lætum, nec cunctanter ſe ipſum ad eos venturum: Hoſpitem enim ſe Galliæ, non hoſtem advenisse, nec ſtricturum ante gladium, ſi per Gallos liceat, quàm in Italiam veniſſet. Et per nuncios quidem hæc. Ut verò Reguli Gallorum caſtris ad Illiberim extemplo motis, haud gravatè ad Poenum venerunt, capti donis cum bona pace exercitum per fines ſuos præter Ruſcionem oppidum tranſmiſerunt. Idem de Sertorio refert Plutarchus, *in ejus vita, pag. 177. Edit. Francof.* Qui gravitate tempeſtatis jactatus, cum in montanis locis Tranſitum à barbaris cogeretur pretio redimere, indignantibus ſuis, indignatamque rem ferentibus, quòd Romanus Proconſul barbaris nebulonibus ſtipendiarius eſſet; nullâ ipſe ejus quæ apparebat turpitudinis habita ratione, tempusque ſe, quo nihil carius eſſe homini magnam rem affectanti poſſit, redimere teſtatus, barbaros pecuniâ delinivit, Hiſpaniâque properando potitus eſt.

16. Quò ſpectare Taciti illud poteſt de Germanici prudentiâ militari ſparſum elogium: *Sine vulnere miles, qui ſemiſomnos inermos aut palantes ceciderant.* Annal. 1. cap. 51. Victoria nimio ſuorum ſanguine parta ſæpe Ducis famam obſcurat. Celebrior itaque hæc Germanici fuit victoria, ſine militis vulnere quæſita. Diſcant hinc Duces tempus diſcernere, ac æſtimare militum vitam, nec faciles exiſtant, ad profundendum illorum abſque neceſſitate ſanguinem. Quod & Scipio intellexit, dum exprobranti quòd in aggrediendo hoſte negligentior eſſet, reſpondit, ſe tempore ſe-

 curita-

curitatem redimere. Dare in diſcrimen legiones, haud Imperatorium eſſe ratus fuit Arminius, *Tacit. Annal. 2.* Temporis itaque Duces inſerviant, parcant militum ſanguini, & ſi accepta clades fuerit, commiſerationem demonſtrent. Sic Germanicus, ut cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire ſaucios, facta ſingulorum attollere, vulnera intuens alium ſpe, alium gloriâ, cunctos alloquio & curâ ſibiq́; & prælio firmabat.

17. Vix aſſentiri illis poſſumus, qui bellici ſtatus faſcinari ratione, rem diſtinctione enodari poſſe arbitrantur, an ſcilicet ſufficientes Tranſituro vires, vel ſecus; priori caſu licitum eſſe credunt, vi per aliena territoria perrumpere: poſteriori tutius judicant, impetrare modeſtiâ deſiderium. Pro fulcro prioris ſententiæ adducunt Gaſtonem Foxium, juxta Paulum Jovium, *in vita Leonis X.* vel Foxium, juxta Thuanum, *lib. 1. hiſtor. pag. 4. Edit. Francof. in fol.* qui mirâ celeritate & virtute, intra quindecim dierum ſpatium, petito à nullo interjectorum Principum Tranſitu, Bononiam ab Hiſpanis & Pontificiis oppugnatam obſidione liberavit. Ad poſterioris firmamentum proferunt Sertorii exemplum. Sed quin ſecurior ſit poſterior ſententia, in caſu etiam virium ſufficientium, ipſus dubitare non audet Frachetta, nec facilè quis, niſi ab honeſti ratione derelictus, ibit inficias. Henricum Magnum, ſub finem vitæ, inquit Franciſc. Zypæus, certum eſt animo magna molimina volviſſe, à Principibus Belgii Tranſitum per agrum Luxenburgicum petiiſſe. Quamrem ſubjectâ cauſæ Clivenſis [illegible] manifeſtè explicat David Blondellus, *in Geneal. Franc. plen. aſſert. in præfat. apol. num. 14.*

18. Ecc

18. Rei hujus magnitudinem nervosè recenſet Thomas Roccabella, *in ſuo Principe prattico, pag. 65. Edit. Venet.* ubi Velaſcum introducit Equitatus Hiſpanici in Flandriâ Imperatorem, qui Tranſitum Galliæ Regi concedendum eſſe, ſequente oratione ſermone Italico pronunciatâ demonſtrat: Minatur Galliæ Rex Sereniſſimæ Auſtriacorum domus tranquillitati, tempore, quo undique triumphis coruſcat, ſtipatus ſociis extraneis, amore ſuorum & benevolentiâ ſuſtentus; Rex potentiſſimus & fortis ſub ſpecioſis prætextibus Tranſitum per Luxenburgicam provinciam verſus ducatum Cliviacum à Sereniſſimis Auſtriæ Archiducibus petit, quibus in promptu quatuordecim peditum millia, bis mille & quingenti equites: numeroſior Regi exercitus, quem propriæ perſonæ exaltat præſentia, & ingens Nobilium ſequentium caterva, qui duobus acti ſtimulis, caſtra Regia comitantur, uno, quo hoſtem profligent; altero, quo Regis gratiam promereantur, cujus majeſtatem in bello tanquam fulmen timent, in pace tanquam Idolum adorant. Affulget unitis provinciis teſtandi gratitudinem erga hunc regem occaſio, cujus brachio partim acceptam referunt, quæ ſtatui acquiſita eſt libertatem, unde non leve Regiis armis augmentum. Hoc ergo mihi conſilium dictitat reverentia, quâ Regi meo obſtrictus, Zelus, quo erga bonum publicum affectus ſum, ut illud concedamus, quod vetare vel recuſare vix poſſumus, cum & hoc inde ſperare liceat nobis commodum, poſſe videlicet intra terminos continere illam in pectore flammâ duplici, amore nempe & indignatione accenſo; poſſe viam præcludere animo variis affectibus deſideriisq; diſtracto, quâ ad noſtras quoque provincias pervagari poſſet ambitionis incendium; poſſe ſic evitari primos Gallorum impetus, converſis

trans Rhenum armis, ut aquæ fluminis hujus nobis adverſtat aggeris ſint, quo paratum nobis ignem extinguamus, cujus flammæ in apertis campis facilè imminuuntur, ac minori noſtro malo evaneſcũt. Multis enim locis, ubi fieri neceſse eſt, expugnandis, tempus teritur, vires franguntur, retunditur ferrum, ardor extinguitur. Sic nos littora fluminis legendo ſtatus contegemus Auſtriacos, lateríque hoſtium erimus oppoſiti, ut tam à fronte, quam à tergo ſit quod metuant. Non tamen perpetuò hiſce operationibus inhærendum eſſe exiſtimo, ſed ad tempus duntaxat, & donec ſperare poſſint adventare ſubſidia, Galliæque Rex ab illo vigore novi [illegible] ctus fuerit periculis, expertusque, non idem eſſe in amore, ac in bellis triumphare: pro augendo ſtatu, pro defenſione oppreſſorum arma arripiuntur, non pro amoris incendio. Damna ab armis, aut commoda ipſi expectanda ſunt: Si damna, nobis magna pateret plura acquirendi occaſio, debilitatamque videremus potentiam, quæ hoſtes noſtros ſuſtinuit, ac his timorem incuſſit, Monarchiæque inhians nobis ſemper impedimento fuit, quò minus offendere potuerimus unitas provincias. Si commoda, vix deerit aliis Principibus æmulatio & invidia; hinc major hoſtium numerus, meliorq; nobis illi reſiſtendi commoditas, cùm non deſtituatur mediis Corona Hiſpanica, quibus illi in montibus Pyrenæis faceſſat negotium, flammasque inſidiis ipſis regni viſceribus excitet: quo plurimum contributura eſt Principum quorundam à regno abſentia; fortuna curſu longiori defatigata frontem contrahet, & ex cumulatâ Regis felicitate enata invidia caſûs occaſionem ſuppeditabit. Conſervabuntur, hoc modo partæ multis laboribus induciæ, quæ facile violari poſſent, ſi hoſtilitate apertâ Coronã Gallicam aggrede-

mur,

mus, unitisque provinciis arma reaſſumendi cauſam præberemus, quibus robur accederet ex fortunati non tantum, ſed et potentis Regis præſentia. *Defenſione nihil ſecurius eſt. Periculo ſe opponere, cùm virium hoc diſſuadeat imparitas, pondus eſſe videtur haud libratum fideliter, & inpræmeditata actio. Beneficio temporis frui, lucrum abſque ſumptibus eſt. Non ſe hoſtem declarare, quando hoc ſtatus Ratio exigit, medium eſt, quo abſque dementia noſtra, in accendentis pectore flammas extinguimus.*

19. De alterâ nunc dicendum quæſtione, an concedi Tranſitus petenti debeat? Quæ, cùm ardua ſit, ac dubiis terminis inextricabilibus circumvallata, maturâ eam terminaturis deliberatione opus eſt, ne quid temere vel audacter fiat; dato ſpatio ad diſquirendum cogitandúmque priuſquam dicant, ne incogitata dicere cogantur de rebus ingentibus, ut *Lamprid. de Alex. Severo, pag. 203. Edit. Lugdun.* Ad hanc rem ſic inſit Paſchaſius Radbertus, in Matthæi Evangel. lib. 2. pag. 100. Edit. Pariſiens. *Quoties turbat nos dubietates caligo, fallit rerum ſpecies, facit ſuperficies cauſarum interdum interiora veritatis neſcire, declinemus ad præſens judicium, ſuſpendamus ſententiam, fugiamus diſcrimen, dicamus totum Deo, ne dum temere geſtimus definire ſententiam, nobis pariamus ex diſcrimine alieno ruinam.*

20. Prudens digeſtáque eſſe debet deliberatio. Regnum Principis firmatum ſapientiâ, non commutatione temporum, non hoſtium violentiâ pervertitur: humana enim hæc ſunt adverſa, & gravia, ſed altiſſimis defixa radicibus Sapientia reſiſtit, virtute firma conſtanti victrix; calamitatibus enim, quæ aliis ruinæ, forti & ſapienti gloriæ ſunt; ut bene Silius Poeta de Româ, cùm clades Punici belli exantlaviſſet,

deviſſet, & adora vulnera laudes perpetuas pariter addi. Et Seneca in lib. de Provid. Div. *Ipſis Deus conſulit, quos eſſe quam honeſtiſſimos cupit, quoties materiam illis præbet aliquid animoſe fortiterq; faciendi: Ergo jace fundamenta altiſſima, quæ gravi labore urgeri non poſſunt, & quibus tutò aſſurgere poſſis.* Hoc de ſe prædicari Princeps faciat: *ut ſapiens architectus fundamentum poſui, 1. ad Corinth. 3.* Illa contempletur quibus Deus regnari in terris voluit, & quæ niſi agi voluiſſet, Principes non creaſſet; ſapienter ergo ſi egerit, eaq; quæ ratio divina ſancivit, imperium ſimillimâ lege, quâ acceptum & creatum eſt, geri demonſtrat, *Alphons Carillo, Hiſpan. in ſuo Principe Evangelico, pag. 95. Edit. Mediolan.*

21. Unus deliberantium licet officiis diſtinctorum ſcopus ad ſecuritatem gloriamq; Principis directus, *Fanucc. obſervat. Polit. vol. 1 § 724 pag. 241. Edit. Bononienſ.* Conſilia ad oſtentationem compoſita in Leoſthene damnavit Phocion, cum Cypariſſis ea comparans ad pyramidem eleganter elevatis, fructus expertibus, *Plutarch. in vita Phocion.* Laudandi quorum Princeps ſequenda eſſe judicaverit conſilia; ſi rejicienda, nequaquam conſulentes pati debent contumeliam, cùm ad eorum ipſi voluntatem, non ad ſucceſſum reſpiciendum ſit, *Dion Caſſ. lib. hiſtor. 52. Edit. Francofurt.*

22. In genere pro optimis habendi conſiliariis, quibus mediocria ſunt ingenia, major experientia quam ſcientia, fides quàm potentia. In particulari qui ſecuriora ſuggerit conſilia, illi qui utilia ſuadet, præferendus. Conſilia præcipitata fatorum manibus exponunt imperia. Ea quæ ad utilitatem præcipuè directa ſunt, anguſtiis principem coarctant.

Quæ

Quæ ſubtilia nimis exiſtunt, licet aliquando effectum ſortiantur, plerunque inutilia ſunt. Ferventia, negotium pervenire ad maturitatem non permittunt. Opus hic Principi animo docili, judicio acri ſubactoque, quod penitius ipſi Status Rationes aperiat diſcernendique bona à malis artem inſtruat, à bonis meliora, cum non ſemper optimum ſit, quod optimi refert ſpeciem. Adhibere itaque Conſiliarios decorum ipſi & neceſſarium. illos admittere humanum, ſed miſerrimum eſt, qualcunque rerum occurrentium terminationes deciſioneſque ab aliorum emendicare prudentiâ. Quid, ut felix ſit deliberationis eventus, præſtandum, aperit ſeculi ſui Polybius Cominæus, *lib. 4. de bell. Neapol. pag. 56. 3. verſ. Sleid. Edit. Francofurt.* ibi: *Ubi de iis mandatis Reipublicæ Dux cognovit, dicebat ſe communicatâ re cum Senatu, brevi reſponſurum. Mox decreta fuit trium dierum ſupplicatio, & in pauperes diſtributæ facultates, ad Deum effuſæ preces, ut quod commodum ſit atque felix Reipublicæ conſilium ſuggerat.* Quam Venetorum ibi teſtatur eſſe conſuetudinem, quoties de re gravi inſtituenda eſt deliberatio.

23. Advolante ad expeditionem Neapolitanam Carolo VIII. compellabantur à Gallis, de concedendo per territorium ſuum Tranſitu, Florentini. Qui falsâ decepti impreſſione, Florentiam à Totila everſam, à Carolo M. reſtauratam eſſe rebantur, ideo & propter commercia quæ cum Gallis habebant communia, petitum Gallis Tranſitum concedere ſtatuunt, ſtultum eſſe opinantes, ſecus agendo, bellis implicari patriæ periculoſis. Diſplicebant hæc Petro Medicæo conſilia; qui legatis Tranſitum urgentibus reſpondit, nihil juſtius exprobrari Reipublicæ poſſe, quàm ſi fidei non ſervatæ culpa ipſi imputaretur. Fœdere Ludovi-

cum XI.

cum rex. inter & Ferdinandum Arragonium inito cautum eſſe, ut Florentini Neapolitanos fœderatos adverſus vim omnem externam defenderent, nulliq; conſequenter hoſtium per ſuas provincias Tranſitum darent, quod fœdus mortuo demum Alfonſo terminandum eſſet. Ob quod indignatus Carolus, conſpirante Petro, Florentiam armatus ingreditur, illamque, quia hic mos inter Gallos vigebat, ſuo adſcribit dominio, *Franciſc. Guicciardin. lib. 1. hiſtor. Edit. venet.* Simile quid refert Barthol. Facius, lib. 10. hiſtor. pag. 351. Edit Baſil. ubi ait. *Multi etiam per eos dies ex Neapolitano regno milites ac duces convenere. Quibus copiis auctus Ferdinandus, in Peruſinum agrum (nam ea trajicere in agrum Florentinum conſtituerat) profectus eſt: At primò quidem Peruſini commeatum negare, cauſati ſibi cum Florentinis fœdus eſſe, per quod non liceat eorum hoſtes commeatu aut re ullâ adjuvare. Sed cùm à Pontifice juſſi eſſent commeatus exhibere, ita demum commeatum præbere decreverunt, ut Regii milites quæ ſibi opus eſſent in oppida mercatum irent. Deinde commotum iis de rebus, ut par erat, Ferdinandum, Legatos ad eum miſerunt cum muneribus, qui factum excuſent, & blandiori oratione mitigent.*

24. Si innoxius petatur Tranſitus, denegari vix poterit, cum illius conceſſionem ſocietatis humanæ jura ſuadeant; æquitatem ſuggerere, etſi jure deficiamur, docet Paulus, *in l. 2. § 5. in fin. ff. de aqu. & aqu. pluv. arc.* Probat id ſacra hiſtoria, *Num. 20.* ubi Moſes, cum tranſeundum ei eſſet per alienos fines, primùm Idumæo, deinde Emoræo has tulit leges: Iturum ſe viâ regiâ, nec deflexurum ad poſſeſſiones privatas, ſi quâ re ipſorum haberet opus, juſtum pretium ipſis ſoluturum addit; ut penitius candorem exprimeret,

verſ-

verſ. 10. Et ſi biberimus aquas tuas nos & pecora noſtra, dabimus quod juſtum eſt. Mirum quòd pro aquâ pretium obtulerit, cujus uſum communem eſſe jura pronunciant, *in §. 1. Inſtit. de rer. diviſ. & acquir. rer. domin.* fortè ob magnam, quæ in deſertis illic eſſe ſolet, aquarum penuriam, ſpopondit Idumæis ne aquis extra urbem exiſtentibus, quibus ad ſitim ſuam & pecorum indigebant timerent, *Cornel. à Lapide, in commentar. pag. 811. Edit. Antwerp.* Cùm & in neceſſitate extremâ & gravi ſupervacanea vitæ eroganda eſſe, etiamſi ſtatui neceſſaria eſſent tradat *Vincent. Filliucius, in Synopſ. Theol. moral. pag. 340. Edit. Herbipol.*

15. Hunc Tranſitum quòd recuſaſſent imploratum, pugnarunt contra eos Iſraelitæ. Qua de re Auguſtinus, lib. 4. quæſt. 44. ſuper Numeros, inquit: *Notandum eſt ſanè quemadmodum juſta bella gerebantur, innoxius enim Tranſitus negabatur, qui jure humanæ ſocietatis æquiſſimo patere debebat.* Adde *Didac. Covarruviæ part. 2 rel. cap. peccatum. de Reg. jur. 1. § 9. pag. 545. nu. 4. Beſold. de jur. & diviſ. rer. cap. 3. pag. 10. Edit. Argentor. Grot. de jur. B. & P. lib. 2. cap. 21, nu. 14.* Cùm Pharao Nechao Rex ex Ægypto ad Euphratem quò Ægyptia progrediebatur acies, tranſeundum eſſet per Judææ regnum, occurrit Ægyptio armatus Rex, ut aditum illi ad ulteriora præcluderet, & quidem hortante Ægyptio ne ſibi moleſtus eſſe pergeret, quando ſibi cum iſto nihil eſſet negotii, ſed tota illa belli moles Aſſyrium peteret hoſtem communem. Perſtitit tamen in ſuâ mente obſtinatò Joſias: quæ res illi prorſus exitio fuit *4. Reg. cap. 23. verſ. 29.* Hinc quidam ex Ibericis inferunt, optimo jure ereptum fuiſſe Johanni Labretano regnum, eò quòd Tranſitum Ferdinando Arragonio, cum exercitu armato contra Galliæ Regem,

per Navarram tendenti negaſſet, vid. *Ant. Padilla, ad l. per agrum. 11. & ſeq. C. de ſervit. & aqu.* Addantur quæ hac de cauſa ſcripſerunt. *Paul. Iovius, lib. hiſtor. 12. & 15. & Iac. Aug. Thuanus, hiſtor. lib. 1. pag. 5.*

26. Si evidens ex Tranſitu noſtris ſtatibus damnum immineat, nihil eſt, quod recuſationem vetet; Cùm alii ſuccurrere honeſtum, non ſemper neceſſarium ſit, legumq; Civilium diſpoſitione cautum reperiatur, quòd nemini officium ſuum debeat eſſe damnoſum, *l. ſi quis ff. quemadm. teſt. aper.* ubi Gajus inquit: *Quippe ſatis eum magna captione à rebus noſtris revocamur, & ſit iniquum damnoſum cuique eſſe officium ſuum.* Ordo dandus in charitate. Et quiſque debet ſibi magis, quàm proximo ſubvenire, *Vincent. Filliuc. in Theol. moral. tract. 28. cap. 2.* Quod & indigitat Divinum præceptum: *Dilige proximum ſicut te ipſum*: ubi, ſicut, non æqualitatem, ſed ſimilitudinem ſignificat, Cornel. à Lapide, in commentar. ad cap. 19. Levit. verſ. 18. pag. 710. Et charitas bene ordinata à ſe ipſo incipit, l. præſes. 6. C. de ſervit. ubi dici, *quod crudelitati proximum ſit ex tuo prædio aquæ agmen ortum, ſitientibus agris tuis ad aliorum uſum vicinorum injuria propagari.* Add. Grotius, de J. B. & P. lib. 2. cap. 25. nu. 7. pag. 462.

27. Libranda, juxta Roccabellam, in *ſuo principe Deliberante*, urgentis Tranſeuntis potentia, ſeu timendæ illius, à quo petitur, vires. Pectus quippe inerme ferro alliſum, vix à vulneribus immune eſt. Violentiâ res ſi agatur, potiores vincentis ſunt partes. Neſcius jugi, frenique impatiens Potentior, audacter prorumpit, cui pro ratione voluntas. Dominium victis infligere à ſuâ dependet ſententiâ. Ubi autem ſua libido aliquam non habet leges præſcriptas; ibi legibus

ipſis

ipſis ſuam poteſtatem præfert. Nam ſic de gentium iure, victi cum vitâ libertate, adeoque bonis omnibus, cedunt poteſtati vincentis. Ita Guillielmus Auguſtus, occupatâ Angliâ fortunarum ſibi omnium arbiter eſſe voluit ac dominus, *Polydor. Vergil. de reb. Angl.*

18. Conſiderandum, an ad expeditionem procedat, vel eâ peractâ revertatur. In proceſſu gloriam ſitit; in reditu ſpoliis victorum onuſtus inflatusque hydropicum redolet, qui ſiti maceratus, eam ex primo, qui obvius eſt rivulo levare ſatagit. Maximilianus Imp. factâ pace cum Hungariæ Rege, iter in Italiam meditans, miſſis ad Venetos tribus oratoribus, animum aperuit aſſumendi Romæ coronam Imperialem, utq; tranſitus exercitui daretur, humane rogat, oblatâ de omni damno & moleſtiâ cautione. Reſpondent Veneti, nondum ſolidata eſſe Italorum ex priſtinis belli calamitatibus inflicta vulnera, terrere veſtigia, in procinctu illos ac in armis eſſe, quibus novas amoliri ærumnas liceret; eadem prorſus Galliæ Regem fovere conſilia, de conſervando Mediolano ſollicitum. Bello Italiam petituro obvias fore validiſſimas fœderatorum copias; pacificè atque exiguo cum comitatu adventanti, omnia quæ ipſos decerent, parata eſſe officia, *teſt. Bembus, in hiſtor. Venet. Et Franciſc. Guicciardin. hiſt. lib. 7. Edit. Venet.*

19. Carolus VIII. peractâ feliciter expeditione Neapolitanâ, relictis quibuſdam ad regni defenſionem, ipſe cum reliquo exercitu domum redire conſtituit, eadem, quâ venerat, viâ, miſſis ad Venetos legatis, qui exponerent in animo Regi eſſe, iter illac facere, ſuasq; copias abſque ullo maleficio & injuriâ traducere. Quorum nihil moderatione Veneti, contracto cum aliis Principibus, in communem, ut fere-

batur Italiæ ſalutem, fœdere, exercitum ad quadraginta hominum millia Regis copiis opponunt, non quidem ipſarum oppugnandarum, verùm ſui defendendi cauſâ. Committitur tandem celebris illa ad Tarum inter Italos & Gallos pugna, ancipite inter utramque partem victoriâ, cæſis utrinque ter mille militibus; interim Gallorum tranſibat exercitus, quem inſectari Italos vetabat orta ex improviſo aquarum reſtagnatio, *Comin. lib. 8. de Bello Neapol. & Franciſc. Guicciardin. lib. 2. hiſtor. ad fin.*

30. Quæri poſſet, an prudentiæ elogia hic actus mereatur? fortiter obſtare videtur regula iſta: *Hoſti fugienti ſternendus eſt pons aureus.* Quæ immotis non raro fundamentis ſubnixa eſt, ob dubios præliorum eventus, ſummaque exinde ſequentia pericula. Neceſſitate nullâ urgente, ſi quis bella meditetur, huic certa ſpes victoriæ affulgeat neceſſe eſt, utque major ſit ſperata ex victoriis utilitas, quàm damna quæ ex ſtrage metuuntur. Quod ad neceſſitatem attinet, nulla tunc temporis, vel exigua comparebat, cum exercitus Gallorum ſuapte ſponte montes & patriam quæreret. Ad aggreſſionem quod ſpectat, difficilis illa erat, quòd jam montes Galli attigiſſent. Conducebat Rex militem veteranum exercitatumque, Itali tyrones pleroſque ac ad præliandum minus idoneos. Quoad utilitatem, ſpes quidem erat, ſoli-us, remoto Gallorum exercitu, recuperari Neapolitanum imperium poſſe, aſt incerta, quia ſi victor Carolus extitiſſet, mole exercitus denuo inundare Italiam, ſi caſus, anno ſequente, novo milite conflato, ſtatus qui hactenus immunes evaſerant, adoriri armis potuiſſet. Tales ergo expeditiones, quarum conſilium incertum, utilitas dubia eſt, Princeps non facile ſuſcipiat, niſi tardè & nullo remedio valente, duci vo-

luerit

fuerit pœnitentiâ, quam rem plenius diſcuſſit *Paul. Paruta, polit. lib. 2. cap. 4. pag. 307. Edit. Venet.*

31. Perpendendum porrò, an triumphans ſit, qui Triumphum petit, vel clade affectus victusque? Illum ad alterum protinùs ſolet ambitio; hujus viribus incrementum addit deſperatio. Solet alias humanum ingenium, docente Gregorio, in magnâ fortunâ facilè humanitatis obliviſci, niſi illam quis moderari prudentiâ didicerit. *Poſtquam viciſti*, inquit Petrarcha, *cave ne te vincat ſuperbia, crudelitas, furor*, [illegible]. Culpatus olim Carolus Burgundiæ Dux, quòd ſubacto apud Leodienſium exercitu, ubique ſæviens & elatus victoriâ, in obvios cives ferro flammaque ſuis graſſari mandaverit. Clariſſimo apud Hiſtoricos refulget elogio Carolus V. Imp. invicti nominis famæque apud poſteros immortalis Princeps, quòd obtentâ ad Ticinum victoriâ, nec campanis, nec pyrobolicis partam illuſtrari gloriam noluerit, *Franciſc. Guicciardin. lib. 16 hiſt.* Henricus IV. Galliæ Rex cognomento Magnus Victor in pugnâ ad Cutracum commiſſâ, adeò moderatum ſe exhibuit, ut Anton. Sadael, unus ex victis ſubmiſſè ad circumſtantes voce dixerit: felicem, & verè gratiâ Dei ſubnixum eſſe hunc Principem, qui hoſtes à Deo [illegible], menſam captivis quaſi coronâ cinctam, parietes ſignis hoſtilibus tanquam aulæis velatos cùm videret, non ideo plus ſolito efferetur, ſed eundem in adverſis ſicut in proſperis vultum & conſtantiam ſervaret. *Jac. Auguſt. Thuan. hiſt. l. 87.*

32. Deſperatorum, inquit Gulſius apud laudatum auctorem, *lib. 11.* eſt ad mortem obſtinare animos, & infenſius cum ſui quam alieni effuſione victoriam collocare. Vi[illegible] virtus ex deſperatione in præcordia redit. In

prælio Pictavienſi Johannes Galliæ Rex non modò ſeipſum, vitamq; ſuam, verum etiam decus nobilitatis, totiusque Imperii fortunas ancipiti prælio commiſit, nec hoſtibus pacem petentibus, modo impune regni finibus excedere liceret, indulgendam putavit. Quid? decem circiter millia ac ipſum tocum hominum quadraginta quinque millia fugarunt, *Joh. Bodin. de Republ. lib. 5. cap. 5.* Sic Paulus Foxius verba coram Rege pro pace faciens apud d. Thuanum, *lib. 55. in princ.* de hac re loquitur: *Tumultu Pariſienſi, non tam conſilio, quàm caſu & neceſſitate, ita enim exiſtimare omnes par eſt, excitato, cum debellatum omnino crederetur, & ſublatis primariis Proteſtantium ducibus, ac flore nobilitatis extincto nulli toto regno, qui bellum renovare poſſent, ſupereſſe crederentur, tamen unius aut alterius urbis diuturna jactura & damnoſa obſidione præceps ruentis fortunæ impetus quaſi ſuſtentatus eſt, & ex illarum cineribus ac reliquiis homines novi nec opinato exorti, qui non ad vires ſuas, ſed ad præſentem neceſſitatem reſpicientes contemptis periculis ex deſperatione conſilium ceperunt, & totum hoc regnum ſubitis motibus repleverunt, eo ſane horrenda illa ſtrage abſumptis formidabiliores, quod deſperatione adacti bellum gererent. Et præter conſcientiarum libertatem ob præteritarum injuriarum ſenſum, ac recens, nec urbem, fidei ſuſcepto exemplum amplius ſecuritati ſuæ caveri peterent. Quid nunc illi poſſint, ex ingenti illo pavore collectis ſpiritibus & animis, rerum peritis æſtimandum relinquo.*

53. Perſpiciendum, an in ſimili caſu Tranſitum petenti concedens, proditione vel perfidiâ moleſtus fuerit, vel pacem laeſam olim fregerit: ſemel enim malus, talis eſſe ſemper intelligitur, in eodem præſertim delicti genere. Proditionem nonnulli pro virtute habent, ſi ex proditione emolu-

futura

ſuram eſſe utilitatem reſciverint. In fide dubitare, Infidelitas eſt, quando ibi cum Deo negotium ſit, qui omnis fraudis capax eſt. In ſtatus negotiis non dubitare, imprudentia eſt, quia tunc ibi cum hominibus agitur deceptionibus obnoxiis. Ubi a hæc difficile eſſe judicatur, antiquarum inimicitiarum firmam ſtabilire conciliationem; vulnus enim jam modò conſolidatum recrudeſcere ſolet, ſi quid puris remanſerit, *Guilielm. Paradin. in hiſtor. Burgund.* Non temerè pactionibus credendum, licet juratis, ſi pax juramento firmata jam antea tractata fuerit, *Comin. in comment. lib. 3. cap. 9. pag. 251.* Rem exemplo illuſtrat *Guicciardin. lib. 2. hiſtor.* Ad ſedandos tumultus Gandavenſium, miſſis ad Franciſcum I. legatis, Carolus V. Tranſitum per Galliam petit: conceſſus ille non tantùm, ſed & Carolus ſummâ cum liberalitate & humanitate acceptus, deducentibus eum per totum regnum filiis Regiis, *Lutetiam Rege ipſo* comitante magna pompâ ingreditur. Cæſariſne fiducia major fuerit, qui regis irritationes, & ſeverè nimis, cùm captivus eſſet, habiti, poteſtati ſe committit, an fides & generoſitas Franciſci, qui hoſpitem quem ſibi omni officio colendum propoſuerat, ne juſtâ quidem petitione moleſtus eſſe voluit, multis & magnis utrinque rationibus agitari potuit; *Thuan. lib. 1. hiſtor. pag. 11.*

14. Scrutandum, an nationis, animive inconſtantis atque ambitioſi ſit, qui Tranſitum petit. Varians inconſtantiæ natura eſt, quæ amicorum mox in ſævitatem convertit. Ambitio ignis eſt, quidquid ſplendet, devorat. An arctâ ipſi cum hominibus commercia ſint. An ad locum, per quem Tranſitus requiritur, jus ipſi ſit, vel adumbrata prætenſio, cujus prætextu intromiſſus arrogare ſibi dominium poſſit:

Ag-

Agitari à Birono adverſus Galliam machinationibus, adhuc ante mortem ejus Joh. Baptiſta Taſſis, Philippicus Orator ad Regem venerat, & ex fœdere Tranſitum per Greſinum pontem Rhodano impoſitum copiis in Belgium deſcendentibus petierat, ſuóque Regis nomine rogaverat, ſibi perſuaderet, Philippum nullatenus Bironi poſtulatis conſilii participaſſe, aut cauſam dediſſe. Ad quæ Rex ita reſpondit: *ut commercii libertatem nihil ſe impedire oſtenderet: cæterum haud ſibi facilè perſuaderi poſſe, Philippum ignoraſſe conſilia Fuentis Comitis cum Birone inita, ex Thuan. lib. 128. Blondellus, in Genealog. Franc. plen. aſſert. in præfat. apolog. nu. 19.* An princeps, adverſus quem Tranſitum movetur exercitus, amicitiâ nobis junctus, vel an ipſius in noſtrum quoque interitum redundare queat calamitas: nec enim per noſtras venas recipere toxicum amicus meretur, æquitatique conveniens eſt, illam domum à lapſu præſervare, cujus fulcris noſtra ſuſtinentur ædificia.

35. Item, an lue quadam peſtiferâ vel contagioſâ infectus Tranſiturus exercitus, quâ Tranſitum concedentis incendi poſſint provinciæ. Talis enim ne ad nos migret, prohibendum eſt. Sic civitates peſte corruptas à ſanis in Bannum quaſi declarari apud Ultramontanos uſu receptum eſt, cenſentque Doctores jure permiſſum privati domum peſte infectam, cum omnibus rebus, quæ in illâ ſunt, comburere, ne principiis neglectis, tota civitas intereat, *l. ſi alius. 7. §. 4. ff. quod vi aut clam. l. 7. §. quod ait. 7. ff. de incend. ruin. naufrag. Ludolph. Schrader. inſtit. de rer. diviſ. §. 10. nu. 5.*

36. Eleganter hac de re differit Eraſmus *in epiſt. ad Fauſtum Andrel.* obiter ait: Quanquam hujuſmodi in rebus

alio

nihil formidare, equidem non ſtrenui hominis, ſed ſtipitis eſſe dico. Ubi eo cum hoſte res eſt, qui propulſari, qui refe-riri, qui vinci contra pugnando non poteſt: ibi qui fortis videri cupit, per me licebit. Lernæa illa hydra extremus duriſ-ſimusque laborum Herculis ferro quidem domari non po-tuit, at Græco tamen igne confici potuit. Huic malo quid tandem facies, quod nec cerni queat, nec vinci? Quædam melius fugiuntur, quàm ſuperantur. Vir fortis Æneas non congreſſus eſt cum Sirenibus, ſed longè à periculoſo littore proram deflexit. At nihil eſt, inquies, periculi. At ego in-terim citra periculum multos interire video. Vulpem imi-tor Horatianam: Quia me veſtigia terrent. Pleraque te adverſum ſpectantia, pauca retrorſum. In hac ergo rerum facie, non Aureliam modò, ſed Gades illas Herculeas, vel ad Orchadum extremarum extremam uſque non dubitarim avolare; non quòd meticuloſus ſim, animoque parum ma-ſculo, verùm ne jure metuam: non ne moriar, cui rei naſci-mur omnes, ſed ne vitio meo moriar. Si Chriſtus ſuos mo-nuit Apoſtolos, ut mutatis ſubinde urbibus, perſecutorum gladios effugerent, ego tam capitalem hoſtem, cùm com-modè queam, non declinabo? Quibus addi poſſunt quæ de peſtis incommodo tradiderunt *Pariſ. conſ. 33. nu. 12. Bald. & Caſtrens. in l. 2. C. de ſumm. Trinit. Bart. in l. de ætate. ff. ad Trebel.*

37. Tot in hac materiâ Syrtes, tot vortices tot & à ne-ceſſariis indies novæ inventæ inſidiæ, molitionesque, ut vero verius ſit, quod ad Pſalmum 145. in comment. dicit. Joſeph. Miron. *Rarò homo homini Deus; ſæpe homo homini lupus: ſæ-pius homo homini hamus.* Eſt quidem lupus trux beſtia, ve-rùm ſi eminus te conſpiciat, aliquando in fugam vertitur,

fuſte cominus contunditur, ſpiculoq; transverberatur. At quis eſt tam lynceus, qui hamum eſſe tectum cognoſcat caveatque? Cujus rei quamvis ſexcenta exempla edocere veritatem poſſint, unicum illud Conradi 3. Imp. hac vice ſufficiat: Hic in Palæſtinam profectus quòd nimiam in Emanuele Comneno Imperatore Conſtantinopolitano & affine poſuiſſet fiduciam, infelicem expertus armorum eventum magnaque ob amici fucati perfidiam clade affectus eſt; ſiquidem ſubmiſſis panibus qui parati erant ex farinâ infectâ commoliti gypſi tenuiſſimo pulvere, maximam exercitus partem perdidit, *Cuſpin. in vit. Conradi 33. Sturcius, in ead. nu. 26. ex Volaterrano, lib. 3. Antrop.*

38. De adventu Friderici Barbaroſſæ in Thraciam, Choniata ſcribit: eum per legatos ab Imp. Iſaacio petiiſſe, ut ſibi per ejus provincias pacatè in Palæſtinam tranſire, & commeatum emere liceret. Bene initio inter ambos Imperatores de his rebus convenit: Sed imprudentia Græcorum legatorum Fridericum offendit: atq; etiam ut Iſaacius eum pro hoſte haberet, effecit. Hic ergo commeatum Germanis negavit: & vias, ſuccifis arboribus, impeditas reddidit, pabulatoresque aggreſſus ex inſidiis eſt. Nec admittebat Iſaacius verba Friderici benigna: Sed cujuſdam ſuperſtitioſi ac falſi Monachi perſuaſione, Germanos, non propter recuperanda Hieroſolyma, verùm imperium ſibi præripiendi causâ, adeſſe putabat. Major certè ratio nocendi non eſt, quàm quæ ſub prætextu amicitiæ fit, ut canit Ovid. *Tuta frequensque via eſt per amici fallere nomen: Tuta frequensq; licet ſit via, crimen habet.* Nam ab amicis qui hoſtiliter ſe gerunt, illi qui jam ſunt præventi, neque facilè ſibi cavere, neq; eos propulſare poſſunt, *Halicarn. lib. 3. Antiquit. Rom.* Licet

id E-

id Emanuel non tulerit impunè, juſtas ab eo pœnas exigente Rogerio Siciliæ Rege, *Peucer. lib. 4. Chron.* Quicunque ergo his artibus ſuos circumvenit, illi rectè Sophoclis illud *in Oed. Tyr.* occini poteſt, εἰ τὶ νομίζεις ἄνδρα συγγενῆ κακῶς δρῶν, οὐχ ὑφέξειν τὴν δίκην, οὐκ εὖ φρονεῖς id eſt, *Affinibus ſi tu tuis mala ſtruere, ac impunè credis id tibi fore, non ſapis.*

39. His accurato mentis ſcrutinio revolutis, perpenſaque propriarum virium ſubſtantiâ, an recuſandus, an concedendus Tranſitus ſit, facilè conſtabit. Vana quippe eſſe dicitur ſine viribus ira. Imò imprudentiæ arguitur, qui dare detrectat, quod fuſo tandem multorum ex ſuis ſanguine largiri neceſſe habet. Franciſcus 1. Mirabelli cædem contra Sforziam ulturus, per Oratores ſuos petiit bis Tranſitum à Sabaudiæ Duce, quo recuſato, expeditionem Comiti Fani-Pauli mandavit, qui admirandâ celeritate omnes Sabaudiæ provincias Regiæ poteſtati ſubjectas fecit, *Martin. Bellayus, lib. 5. comment. pag. 247. edit. Pariſ.* Eodem fermè fortunæ rotantis imperio conſtrictus fuit Verucæus Comes, militiæ Sabaudæ præfectus, quòd amicè per Guitautum Comingium Regis Galliæ nomine compellatus juſſusq; à viâ abſiſtere per quam Regi Chriſtianiſſimo Tranſitus, præviis promiſſis, intacta fore Sabaudi feuda tranſeunti, niſi vi obſtiterit viæ, reſpondit audacter, quando manu armatâ petitur res indebita, armis rei judicium eſto, *Gabr. Gramond. in hiſt. Galliæ, lib. 18. pag. 788. edit Amſtelodam.*

40. Virium, prudentiæq; fiduciâ Tranſitum ab Helvetiis, licet abſque damno petitum, animosè Cæſarem recuſaſſe, ex comentariis illius conſtat, de *bello Gall. lib. 1. edit. Baſil. ubi hæc habentur. Vbi de ejus adventu Helvetii certiores facti ſunt, legatos ad eum mittunt, nobiliſſimos civitatis, cujus*

legationis Numejus & Verodoctius principem locum obtinebant, qui dicerent, ſibi eſſe in animo, ſine ullo maleficio iter per provinciam facere, propterea quòd iter haberent nullum aliud rogarentq́; , ut ejus voluntate id ſibi facere liceat. Cæſar, quòd memoria tenebat L. Caſſium Conſulem occiſum, exercitumq́; ejus ab Helvetiis pulſum, & ſub jugum miſſum: concedendum non putabat: neq; homines inimico animo, data facultate per provinciam itineris faciundi, temperaturos, ab injuriâ & maleficio exiſtimabat: tamen ut ſpacium intercedere poſſet, dum milites, quos imperaverat, convenirent, legatis reſpondit, diem ſe ad deliberandum ſumpturum: ſi quid vellent, ad Idus Aprilis reverterentur. Intereà eâ legione quam ſecum habebat, militibusq́;, qui ex provinciâ convenerant à lacu Lemano, qui in flumen Rhodanum influit, ad montem Juram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit, millia paſſuum decem & novem, murum in altitudinem pedum ſexdecim, foſſamq́; perducit. Eo opere perfecto, præſidia diſponit, caſtella communit, quò facilius, ſi ſe invito tranſire conarentur, prohibere poſſet. Ubi ea dies quam conſtituerat cum legatis, venit, & legati ad eum reverterunt, negat ſe more & exemplo Populi Rom. poſſe iter ulli per provinciam dare: Et ſi vim facere conentur, prohibiturum oſtendit. Helvetii eâ ſpe dejecti, navibus junctis, ratibusque compluribus factis, alii vadis Rhodani, quà minima altitudo fluminis erat, nonnunquam interdiu, ſæpius noctu, ſi perrumpere poſſent, conati, operis munitione, & militum concurſu, & telis repulſis hoc conatu deſtiterunt.

41. Manſuetudine, temperatisq; ad ſubmiſſionem verbis ferocem obvii fratris animum demulſit Jacob largitionibus, cùm potentiâ ad reſiſtendum eſſet orbatus, adventantem ſoporandum exiſtimans, donec iracundiæ deſæviiſſet rabies

bies *vidi faciem tuam*, inquit *quaſi viderim vultum Dei*. Quaſi diceret; mihi timido & anxio inſperata tui vultus clementia & ſuavitas, cum tanta dignitate & excellentiâ conjuncta, tam jucunda & veneranda eſt, quàm eſſet vultus Dei, vel Angeli, ſigno aliquo ſuam opem & præſentiam oſtendentis, *Geneſ. cap. 33. verſ.* 10. Cùm duro ſtolidoque Nabalis reſponſo repreſſa eſſent humana Davidis deſideria, ſic exarſit, ut ſtatim decreverit de tam inurbana ingrataque declaratione ſumendam eſſe vindictam. Quare edicit omnibus ut accingant ſe ferro; quod etiam ipſe fecit, & relictis ad ſarcinas ex eo numero ducentis, quadringentos alios armatos eduxit, rectà tetendit ad locum, unde ſupplices fuerant ſuperbè repulſi. Hoc animadvertens Abigail, nihil cunctata, quia nullam vis morbi medicinæ moram patiebatur, illa paravit omnia, quæ Davidi in illis rerum anguſtiis uſui futura exiſtimabat. Adorta pòſt cum ſodalibus, hoc ſermone Davidem, *in me ſit; Domine mi, hæc iniquitas*. Mira ſanè exordiendi inſinuandiq; ratio, qualis in cauſa turpi adhiberi ſolet ab oratore, qui perſonam removet turpem, & honeſtam inducit. Audiret quidem cum offenſione David nomen Nabalis, in cujus væſanam intemperiem totus excanduerat, quare de Nabale in principio nihil, ſed de ſe ipsâ loquitur Abigail, in qua nihil apparebat, quod videretur aliqua vel leviſſimâ vexatione mulctandum, & in ſuum caput, ſi quid eſt à Davide conceptum acerbitatis, derivat. Quam orationem oblatâ prudenter benedictione concludit, animum Davidis offenſum placat, armatas in cædem manus inhibet, familiamq; ab imminente jam liberat exitio, *Caſp. Sanctius. 1. Reg. cap. 25. edit. Antwerp.*

42. Hac arte Taxiles Rex Indiæ ſapiens Alexandrum

M. ſibi devinxit, & ex hoſte amicum fecit, ſalutans enim Alexandrum, his uſus eſt verbis: *Quid bellis inter nos opus eſt, cùm neque aquam nobis ademptum, neque victum neceſſarium veneris, pro quibus ſolis neceſſe habent ſani decertare? Reliquis opibus ſi ego abundantior ſum, impertiar tibi libens; ſin inferior, non recuſabo abs te grato animo accipere beneficium.* Delectatus eâ oratione Alexander illumque complexus; *Anne tu*, inquit, *hac comitate certamen evadere putas? erras quippe contendam tecum beneficiis, ne me ſuperes beneficentiâ.* Ac muneribus acceptis multis, datisque pluribus, denique mille talento argenti ſignati ei propinavit, Plutarch. in Alex. *Nihil*, inquit Chryſoſtomus, *manſuetudine violentius. Nam ſicut rogum cùm valde accenditur, aqua injecta reſtinguit; ita & animum camino magis exardeſcentem, verbum cum manſuetudine prolatum extinguit: & duplex inde nobis lucrum accreſcit, tum quòd manſuetudinem declaramus, tum quòd fratris indignationem ceſſare facimus, & mentem ejus à turbatione liberamus. Non poteſt ignis igne extingui, ſic nec furor furore demulcetur. Verùm quod igni eſt aqua, hoc iræ eſt manſuetudo & mititas.*

43. Ne autem peregrinis offuciis adeò avitæ libertatis lumina obtenebrentur, ut externæ invadentium libidini & pervicaciæ victimæ cadant incolæ, belloque internecino ad extremam uſque Patriæ ruinam implicentur, omnibus intenſis allaborandum eò nervis ut evitato abuſu, inter ipſius uſus terminos ſe contineant Tranſeuntes, nihil conta leges conſociationis molituri. Cui malo quoque remedium dedit Juſtinianus Imp. pacis bellique gubernator auguſtus, in *Nov. 130. in præfat.* ubi ait: *Primum & maximum arbitramur ſtatum eſſe noſtræ Reipubl. ut incul-*

inculpabiliter noſter exercitus in itineribus converſetur, & innoxietas atque indemnitas noſtris collatoribus cuſtodiatur. Et cap. 1. ibi: *Ex conſuetudine autem & recauta fieri ab optionibus, collatoribus pro his quæ ab illis expendantur, periculo eorum qui cum eis ſunt judicum, & tribunorum, & comitum, & diaſoſtarum, & delegatorum, & uniuscujuſque numeri primatum, & nullo modo gratis expendere milites à collatoribus, aut occaſione non factæ forſan præparationis, aut introitorum nomine, quorum etiam ipſum vocabulum omnino perimimus, ut undique illæſi & indemnes cuſtodiantur noſtri ſubjecti.* Et cap. 8. *Hæc autem ipſa ſervari præcipimus non ſolùm in Tranſitibus noſtrorum judicum & militum, ſed etiam aliorum, qui ex qualibet gente in auxilium noſtræ Reipubl. nobis mittuntur.*

44. Alium cautionis modum præſcribit Guido Imp. apud Goldaſtum, Conſtit. Imper. tom. 3. pag. 295. *Et ſi intellexerint ex aliqua parte, per eorum terminos velle aut debere extraneos tranſire, ad regni iſtius vaſtationem, dirigant eis miſſos, ut in pace & ſine prædâ per eorum tranſeant terram, vendere autem eis quæ neceſſaria ſunt, faciant, non plus carum, ſed ſecundum conſuetudinem terræ. Si verò noluerint acquieſcere, & rapinas exercuerint, quicquid alter rapuerit legaliter cum banno noſtro ab Epiſcopo & Comite ejuſdem loci dare cogantur. Quodſi eas exequi noluerint, ſtatim ab Epiſcopo loci excommunicentur. Poſtea verò ſi contigerit, ut Comes loci populusq; terræ ſupra ipſos prædones venerint, & eos impedierint, & fuerint mortui, neque faida inde creſcat, neque compoſitio aliqua requiratur pro his qui ibidem occubuerint. Et ſi Comes ejuſdem loci hoc implere neglexerit, proprio honore privetur. Et ſi oportuerit, & neceſſe fuerit, in ipſo auxilio vicinum ſuum Comitem advocet. Et ſi ille ſe ſubtraxerit, ſimiliter proprio prive-*

privetur honore , *&* *inſuper 30. libras argenti Comiti componat.*

45. Super modo exercituandi ex decreto Sigiſmundi hæc tradit Goldaſtus, Conſtit. Imp. tom. 3. pag 452. *Idem quod exercituantes tempore æſtivo in villis & in ſegetibus deſcenſus facere non debeant, ſed in campis vacuis, in quibus ſegetes pedibus equorum non conculcent nec deſtruant* , *ulla damna & nocumenta inferre præſumant* , *nihil omnino præter herbas non falcatas, ligna & aquam* , *abſque debito pretio capiendum ſeu auferendum præſumant. Quicunque autem ex hujuſmodi exercituantibus potentialiter ſeu voluntariè ſuccenſiones, combuſtiones, aut deprædationes villarum & poſſeſſionum, exactiones Eccleſiarum, Nobilium,* *&* *Eccleſiaſticorum virorum propriam curiam, & domorum invaſiones,* *&* *deprædationes, mulierum & virginum ſpoliationes* , *raptus & dehoneſtationes, hominum verberationes, & vulnerationes* , *& alios ſimiles & majores & enormes actus potentialiter committere præſumpſerint : Ex tunc contra tales, præmiſſo modo & ordine in illis comitatibus* , *in quibus hujusmodi patrata fuerint, conquiſita & compertâ veritate, in facto potentiæ convincantur, & ex parte eorum indilata ſatisfactio* , *modo ſuperius declarato* , *per ſententiam judiciariam impendenda declaretur & demandetur ac per Comites & Parochiales & Judices nobilium ipſius delinquentis, & in facto potentiæ convicti, ad executionem earundem ſententiarum per occupationes poſſeſſionum, rerum & bonorum ablationes, & alia in talibus caſibus fieri ſolita, per Palatinum & Judicem Curiæ realiter & effectivè procedi literatoriè committatur & demandetur.*

46. Promittit Moſes ſe Tranſeuntem cum exercitu

per

per Idumæorum agros, nemini leviſſimum damnum illatu-rum. Sic quoque laudantur plurimi Græcorum Latinorumque Duces. Dercylles, narrante Xenophonte, *παρήγαγε τὸ ςράτευμα διὰ τῆς φιλίας χώρας μηδὲν βλάψας τοὺς συμμάχους.* Copias duxit per fines pacatos nullo detrimento afficiens ſocios. Sic, teſte Ælio Lampridio in Alexandro Severo, ſi quis de viâ in alicujus poſſeſſionem deflexiſſet, pro qualitate loci, aut fuſtibus ſubjiciebatur, in conſpectu ejus, aut virgis, aut condemnationi: aut ſi hæc omnia tranſiret dignitas hominis, graviſſimis contumeliis, cum diceret; *viſne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis?* De Gothis, Hunnis, Alanis, qui ſub Theodoſio merebant, videatur Panegyriſta. *Nullus,* inquit, *tumultus, nulla confuſio, nulla direptio ut à Barbaris erat, quin ſi quando difficilior res frumentaria fuiſſet, inopiam patienter ferebat, & quam numero arctarat annonam, comparcendo laxabat.* De Stilicone Claudianus; *Tanta quies, tantusq; metus ſervator honeſti Te moderante fuit, multis ut vinea furtis, Aut ſeges erepta fraudaret meſſe colonum*, ex *Hugone Grotio de Jure* B. & P. *Joh. Quiſtorp. in annotat. Biblic. pag.* 179. *edit. Roſtoch.* Sfortia Gotiniola coactis diſſipati exercitus reliquiis, junctisque copiis à Ludovico Andegavenſi tranſmiſſis, in Campaniam proficiſcitur: finesque regni ingreſſus, ut per pacatú agrum agmen duxit: nec divini quicquam aut humani violavit, priusquam Neapolim pervenit. Ibi demum nullo ad conſpectum agminis concurſu facto, ad mille ab urbe paſſus, caſtris per ocium poſitis, hoſtem ſe Johannæ profeſſus eſt, *Barthol. Facius, hiſtor. ſui temp. 1. pag 6. Edit. Baſil.*

47. Et in hoſtico ſolo omni ſeveritate eliminandam militum eſſe inſolentiam, docet Auctor *Bellatoris prudentis & politici, cap. 18. de conducendo per hoſtis territoria milite,*

 Edit.

Edit. Pariſ. ne violentis graſſari extorſionibus queant in viſcera incolarum; qui territi loco cedunt, unde commeatus deficit, populorumque odia exoriuntur. Quæ ſummis avertere viribus prudens Dux Debet: Exitium enim qui invadendæ regioni conciliat, nihil niſi deſerta lucratur; ex quo nonnunquam vicini Principis ſuccreſcit potentia, verſus quem, rebus turbatis, refugia quærunt gentes, quas dira militum tyrannis fugavit. Imò ſæpe incolas eò proritat bellantium furor, ut armis miſeriam ulciſci malint, quàm hoſtis violentam experiri victoriam. Quod ſecus in milite eſt, humanitas quem commendat, cui adventanti depoſitis armis ſe ſubmittunt, pro certo habentes, Principem, non ſubditos bello peti.

48. Subditi Principis ſui Conſiliorum expertes, peccatis ipſius gravandi non ſunt, ſed ab injuriis moleſtiisque ipſi inferendis eſſe debent immunes. Maximum emolumentum, ſummaque ultio eſt, quando hoſti provinciam extorquemus abſque injuriâ ſubditorum & incommodo. Ab aliò poſſideri delitias amittenti deſperatio eſt. Alexander M. vix pede in Aſiam fixo, ſub gravi pœna milites vetuit, ne ullum hoſtilitatis actum ibi exercerent, ſuas jam non Darii terras eſſe arbitratus. Erroris haud facilè argui regula poteſt, quâ inculcatur, humanè cum ſubactis agendum eſſe, præſertim ſi actiones occupantis à moribus differant prioris domini; quò magis enim vincentis mores victorum adæquati fuerint ingenio, eò majoris conſtantiorisque vincens venerationis particeps erit & obſequii.

49. Citò quæ in delitiis habuimus obliviſcimur, ſi gratius ſe objectum præſentet. Nubes aquis gravidæ, quòd terræ fructibus acceptæ ſint, cum gaudio & benedictione recipiuntur;

-untur; quæ verò grandinem & fulgura minantur rarò abſq; imprecatione ſunt & murmure. Si Principis jactura non communis exiſtat ſubditis, conſervatio & jactura ejuſdem apud eos eſſe ſolet prædicamenti. Canis, ſymbolum fidelitatis præfigurans, perſequi veſtigia domini ſi nequit, eum inſectatur, qui majores erga ipſum blandimonias teſtatur, vel à quo pinguiora expectat compendia. Bona poſtquam perdidere homines, exiſtimationisque vel famæ jacturam paſſi ſunt, parvi vitam faciunt, ſique neceſſitate utuntur, artium alumnâ, vindictam meditantur & conſpirationem, ac obvia quævis facilè ſequuntur deſperata præcipitataque conſilia. Hinc invictus Ludovicus XIII. Galliæ Rex, cujus heroica facta juſtitia commendat & generoſitas, terram Lotharingicam occupaturus, ſub pœnâ nunquam remittendâ militibus injungi per Duces curavit, ut ab omni prorſus violentiæ vaſtationisq; genere abſtinerent, ne ulla in loco Tranſitus querela panderetur.

50. De Pompejo hæc Tullius refert in Oratione pro lege Maniliâ: *Hi vos, quoniam liberè loqui non licet, tacitè rogant, ut ſe quoque ſicut cæterarum provinciarum ſocios, dignos exiſtimetis, quorum ſalutem tali viro commendetis. Atq; hoc etiam magis, quàm cæteros, qui ejusmodi in provinciam homines cum imperio mittimus, ut etiamſi ab hoſte defendant, tamen ipſorum adventus in urbes ſociorum, non multum ab hoſtili expugnatione differat. Hunc audiebant antea, nunc præſentem vident, tantâ temperantiâ, tantâ manſuetudine, tantâ humanitate, ut ii beatiſſimi eſſe videantur, apud quos ille diutiſſimè commoratus.*

51. Damna ab exercitu Tranſeunte data, pecuniâ & largitate Principis fuiſſe ſarta, conſtat ex Caſſiodoro, *lib.12.*

variar. cap. 8. Eadem de cauſâ etiam remiſſum tributum,. *d. lib. 12. cap. 5.* Innocuos enim & modeſtos militum Tranſitus eſſe debere, oſtendit Theodoricus Gothorum Rex, qui ideò exercituales faſſus eſt gratanter ſubire expenſas, ut ab armatis cuſtodiretur intacta civilitas, apud eundem Caſſiodorum, *lib. 5. cap. 26.* Supervenientibus militibus quibus hoſpitia in civitate præberi oportebat: omnes quos id munus contingebat, ſuſcipere cogebantur, attamen per vices, ne alius magis alio prægravaretur, U*lp. in l. & qui originem. §. eos milites. ff. de munerib. & honor.* Exceptis, qui ab hoc onere, impetratâ à Principe immunitate, eſſent exempti. *L. munerum. ff. d. tit. l. medicos; l. grammaticos. C. de profeſſor. Addatur Caſp. Theſaur: lib. ſing. quæſt. forens. 39. nu. 9. Genevens. Althus. in dicæolog. lib. 1. cap. 8. nu. 7. & polit. cap. 1. & 5. Fauſt. in Conſil. pro ærar. claß. 4. ord. 229. & 230. pag. 73. edit. Francofurt:*

52. Hæc Theodoricus Rex ad Severum Epiſcopum: *Quis melius ad æquitatis jura deligitur, quàm qui ſacerdotio decoratur? qui amore juſtitiæ perſonaliter neſciat judicare, & diligens cunctos in commune, locum non relinquat invidiæ. Proinde aptam conſiderantes veſtris meritis actionem, ſignificamus nos per Montanarium ſanctitati veſtræ mille quingentos ſolidos deſtinaſſe, quas provincialibus, prout quemque præſenti anno, exercitu noſtro tranſeunte, diſpendium pertuliſſe cognoveris, habitâ læſionis æſtimatione diſtribuas. Ut nullus à noſtrâ munificentiâ reddatur alienus, quem ſua damna gravaverunt. Nolumus enim ſub confuſione largiri, quod decet ſub ratione diſtribui. Ne quod neceſſario nos tranſmiſiſſe conſtat afflictis, ſuperfluo tribuatur illæſis*, Goldaſt. Conſtit. Imper. tom. 3. pag. 38.

53. Sed

53. Sed non iidem ubique mores; hodie cùm ſumptus grandes ſint, major graviorque militum petulantia. Tranſitum, qui poſſunt, pecuniâ redimunt, quem morem etiam apud Romanos duces fuiſſe teſtis eſt Tacitus, lib. 5. Hiſtor. ibi: Lento deinde agmine per fines Allobrogum & Vocontiorum ductus exercitus, ipſa itinerum ſpatia & ſtativorum mutationes venditante duce fœdis pactionibus, adverſus poſſeſſores agrorum, & Magiſtratus civitatum. Nonnulli raptim lecto militi ex rapto victum faciunt, cui impunes, permiſſu ducum rapinæ, cædes, incendia, fas illi & nefas æquè habita: Qualis fermè Locrenſium apud Romanos de Legato Pleminio fuerunt querelæ, ut Livius tradit, *dec. 3. lib. 9. Edit. Baſil.* ibi: *Ac ſi ſcelus, libidinem & avaritiam ſolus ipſe exercere in ſocios veſtros ſatis haberet, unam profundam quidem voraginem tamen patientiâ noſtrâ expleremus. Nunc omnes Centuriones, militesq; veſtros (adeò in promiſcuo licentiam atque improbitatem eſſe voluit) Pleminios fecit: omnes rapiunt ſpoliant, verberant, vulnerant, occidunt, conſtuprant, matronas, virgines, ingenuos raptos ex complexu parentum.* Sed vehementer errant, quòd fæce barbarorum, & vitioſiſſimæ multitudinis inconditâ turbâ victorias comparari poſſe arbitrentur; Eſt enim gigantum more bellare cum diis naturæ, & arti repugnare. Nihil moroſius ad obediendum, nihil ignavius ad laborandum, nihil turpius ad pugnandum, milite delicato, & ad omne ſcelus audaci, *Alphonſo Carillo in Principe ſuo Evangelico, pag. 88. edit. Mediolan.*

54. Hinc preſſus Chriſtianorum exercitus à Pannoniis clade; cujus rationem exprimit Albertus Aquenſis *Hiſtor. Hieroſol. lib. 2. In tract. de Geſtis Dei per Francos. pag. 198. edit. Hanov.* ubi Godofridi Ducis legati talem ad Regem habuerunt o-

   runt o-

rum orationem: *Regi Ungarorum Kalomano, Godefridus, Dux Lotharingorum, & cæteri comprimores Galliæ, ſalutem & omne bonum in Chriſto. Mirantur Domini & Principes noſtri, cùm Chriſtianæ profeſſionis ſitis, cur tam crudeli martyrio exercitum Dei viventis interemiſtis, terram verò & regnum pertranſire interdixiſtis, & variis calumniis eos affleciſtis. Quapropter nunc timore & dubietate concuſſi, Tollenburg moram facere decreverunt, donec ex ore Regis intelligant, cur tam crudele facinus à Chriſtianis, perſecutoribus Chriſtianorum, commiſſum ſit.* Reſpondit Rex, univerſo cœtu ſuorum audiente: *Non Chriſtianorum perſecutores ſumus, ſed quicquid crudelitatis oſtendimus, aut in illorum interitu commiſimus, nimiâ neceſſitate compulſi fecimus. Cùm enim primo exercitu veſtro, quem Petrus Eremita contraxit, omnia accommodaremus, emendi licentiâ conceſſâ in menſura & pondere æquitatis & pacificè illis per terram Vngariæ Tranſitum conſtitueremus, malum pro bono nobis reddiderunt, non ſolùm in auro & argento; equis & mulis & pecore regionis noſtræ auferentes, ſed & civitates & caſtella evertentes, hominesq; noſtros ad quatuor millia mortificantes, rebus & veſtibus expoliaverunt.* Cujus rei originem ſpecialius recenſet Willermus Tyrenſis Archiepiſcopus, hiſtor. lib. 1. cap. 20. pag. 645. d. tract.

55. Hæc de quibuſdam militum inſolentiis refert Joh. Jacobus Chifletius, in Vindic. Hiſpan. pag. 347. edit. Antwerp. ex Bzovio: *Vbi ſuperbiâ, luxuriâ & crudelitate omnia complebant, inaudita vectigalia imponebant, intolerabiles obventiones exigebant, invita nobilium & divitum fœminarum conjugia inibant, nuptarum recens virginum pudorem primi deliba-*

delibabant, præque violatas maritis relinquebant, atque adulteria etiam in nuptas machinabantur. Hæc ex Gabriele Grammondo in Hiſtoria Galliæ lib. 2. pag. 145. habentur: *Qui militiam tractat, graſſatur per fas & nefas, amicos inimicos juxta habet, prædatur in tranſitu, in ſtatione opprimit, vaſtat ferro, flammâ deſolat, violat Dei jura & hominum.*

56. A' quibus & his ſimilibus vix & alibi abſtinuiſſe nonnullos, contraq; promiſſum turpiter abuſos Tranſitu, ex Annalibus ac Diariis patet. Totæ querelis reſonant provinciæ. Hic violata hoſpitii clamitat jura, ille attentata malè, pejus peracta fuiſſe adulteria. Alius erepta contra fidem bona; Alius, læſum honorem, ſauciatum corpus, contumelioſeque cum oblatis cibis actum; aculeo denique minarum ſe conſternatos conqueruntur univerſi. Admoventur altaribus ruſtici magis, ut victima, quàm ut ſacri participes, adiguntur jurejurando; quæ viſa, audita, patrataque eſſent, non enuntiaturos. Ab ipſis ſacrificis rei tanquam optimè geſtæ teſtimonia extorquentur. Plerique noxam ſpirant, reipsâ molientes. Effrenis audacia, inaudita temeritas!

57. Averti hæc poſſunt, ſi idoneam Tranſituri cautionem præſtiterint, de damno, quod ſuâ culpâ datum fuerit, ſarciendo, ad qualem ſe ultro obtuliſſe Maximilianum, ſupra memoratum fuit. De Godefridi in Terram Sanctam expeditione hæc refert Albertus Aquenſis, d. lib. 2. hiſtor. pag. 199. *Tandem Baldewinus omne metu ſua fluctuatione excluſâ, conceſſit obſes fieri, & exilio pro ſalute fratrum transferri. Igitur tam præclaro Principe jam obſide facto, & Rege unà cum illo in Pannoniam regreſſo, univerſus exercitus ex juſſu & conceſſu Regis per pontem trans paludem intromiſſus eſt, & ad fluvium Lintax caſtrametatus eſt. Caſtris verò poſitis & univerſis ho-*

ſis hoſpitio ſedatis Godefridus Dux præcones per ſingulas domos ac tuguria acclamare conſtituit ſub judicio mortis: ne quicquam contingerent, aut violenter in Regno Vngariæ raperent, & nullam ſeditionem moverent; ſed omnia æquo pretio mutuarentur. Similiter & Rex per univerſum regnum acclamari præcepit; ut omnem copiam rerum neceſſariarum reperiret exercitus, in pane, vino, frumento, hordeo, in beſtiis agri & volatilibus cœli: juſſumq́; ſub judicio vitæ, ne injuſtâ venditione Vngari gravarent exercitum aut conturbarent, ſed potius omnia venalia illis alleviarent.

58. Prudenter monitum à Magnifico Dn. Tabore Cancellario Academiæ Gieſſenſis Juriumq́ue Patre eminentiſſimo, *in Commentar. ad Tit. Cod. de Metatis & Epidemicis, pag.* 58. *nu.* 11. *Edit. Argentor.* in Urbibus, ſi ita neceſſitas efflagitaverit, aſſignanda militibus publica prius loca, quæ ſcilicet hiſce uſibus apta deſtinataque ſunt, quàm privata civium habitacula; qua de re textum producit *in l.* 7. *C. d. tit.* ubi diſponitur, *ut milites etiam devotiſſimi etiamſi ex procinctu redeant vel proficiſcantur ad bellum* (*adeoq́; maximo favore digni ſint*) *tamen non alibi excipiendi veniant, quàm in ſingulis turribus murorum.* Notatq́;, id ipſum obſervaſſe Wallenſteinium, ut quibus urbibus bene vellet, earum non domibus, ſed pomœriis & munitionibus milites imponeret; quod in urbium deditionibus etiam aliquando nominatim in pactum deduci ſolet: Ita enim Anno 1602. 18. Sept. Gravenſes ad Moſam, in Brabantia, inter alia hoc ſibi à Principe Mauritio, art. 8. pacti leguntur, in Hiſtor. Belg. *Il plaira à Son Alteſſe de loger & accommoder ſuivant l' ordonnance d' Hollande la garniſon tant à pied quâ cheval es places vuides, faictes on encores à faire, ſur les rempars de la ville, ou ailleurs à la deſcharge de la pau-*

la pauvre bo urgeoiſie. Si tamen à Civibus præſtanda ſint hoſpitia, eò annitendum, ut innoxia ſit militum converſatio, illiq; annonâ expeditionali, absq; inhabitantiũ moleſtiâ vivant contenti, quò maximè pertinet l. un. C. de Salgam. hoſpit. ubi Jacob. Cujacius æternum juris decus.

59. Licet ſubinde oblata cautio ſuſpecta ſit, quamobrem uniti olim in Germaniâ Principes, petitum ſub cautione Tranſitum concedere recuſarunt, quod Caſpar Londorpius refert, *Actor. publicor. Tom. 2. lib. 5. pag. 925. col. 1. & 2. Edit. Francof. in fol.* ibi. Dieſem nach/als Marches ſpinola im Nahmen des Kayſers an der Union General Fürſten und deren Stände/einen freyen Durchzug/ohne jedermands Beſchwerung / auff gnugſame Caution und Verſicherung begehrt/ ſo haben zwar dieſelbe / dieſen dem Reich præjudicirlichen Durchzug frembder Nationen Kraft denen in des Heil. Reichs Abſchieden Conſtitution und bewilligter Capitulation mit gutem Fug und Rechtbillich abgeſchlagen/den Spinolam aber/ deſſen intention ſie zuvor vermercket/in Bewahrung der von dem König in groß Britannien / außdrücklich gethanen Proteſtation/zu jhrem Vortheil eher nicht angreiffen wollen/ Er habe dan zuvor weiter Anlaß darzu gegeben. Alß aber nachgehends der M Z. A. des Spinolæ Einfall verſtanden / hat er geſagt: Was will nun der König in Engenland ſagen? Anlangend ſeinen Geſanden / als derſelbe vernommen / das der Spinola Creützenach und Altzheimb eingenomme / hat er zu den Fürſten geſagt. Hactenus ſatis factum eſt Regi meo nunc vos videte, das iſt / biß her iſt meinem König gnug geſchehen/nun ſehet jhr zu.

60. Si diviſis cohortibus tranſmittantur, quibus conducendis pares ſint tranſmittentium copiæ. Pro dogmate

 politico

politico habetur, Status Patronum eſſe, penès quem armorum eſt imperium; vis quippe Idolum eſt, coram quo & ſceptra ſe inclinant. Conventum erat Galliæ Regem inter & Mediolani Ducem præter alia, ut Regiis copiis terreſtribus & ad expeditionem Neapolitanam deſtinatis, iter expeditum, modo ne plures ſimul per ipſius terras iter facerent: quàm ducenti cataphracti, Dux præberet; quod ſi Rex ipſe ad eam expeditionem rediret, dux eum cum certo numero comitaretur, *Franciſc. Guicciardin. lib. 11. hiſtor. pag. 229. Edit. venet.*

61. Si propriæ deficiant vires, immineatq; periculum, ne belli ſedes in noſtro Statu erigatur, haud inconveniens foret, ad limites noſtros vicini alicujus Principis evocare copias, Sabaudiæ Ducis exemplo, qui motis in Monte ferrato armis, metuens ſibi à Gallorum progreſſibus, Hiſpanorum adſcivit auxilia. Ne tamen hic in majora mala præcipites ruamus, cavendum, ne milites in ſubſidium evocati à tranſmittentis, ſed noſtris juſſibus dependeant: Sufficit quippe auxilianti ſuum quoque, hac oppoſitione, geri negotium, dum hoſtis ab ipſius ſimul finibus arcetur. Excutiendus ex oculis, in hac re ſomnus eſt; nonnulli equidem Exercitus in actu jam Tranſitus comprehenſi ſunt, quando ſua de impetrando illo interponi faciunt officia. Caroli v. Imp. copiæ jam ſuperare montis Baldi faſtigia conabantur, dum ipſius legati apud Senatum Venetum de Tranſitu concedendo agerent.

62. Nec ad armorum umbram Duci tremendum eſt, nec inania famæ pertimeſcenda. Non omnino timendus non omnino contemnendus hoſtis. De Vitellio hęc Tacitus, Annal lib. 16. *Non talis Vitellius, qui ignarus militiæ, improvidus conſiliis, ad*

liis, ad omnes nuncios vultu quoque & inceſſu trepidans, deinde temulentus. Flaminius contemnens Hannibalem, miſerè ad Peruſiæ lacum profligatus eſt; temeritas quippe præterquam quòd ſtulta eſt infelix etiam eſt, & ubi primum impetum effudit, ſicut quædam animalia, amiſſo aculeo, torpet. Non ut quævis agantur, nec ut nihil agatur, inſtans monet neceſſitas; Sed ut agentem ipſa ducat ratio, non fortuna aut caſus. Interim nunquam hoſtis negligendus, etſi infirmus, cùm ſui fiducia ſemper noxia ſit; Exempla ſunt 1. *Reg. cap.* 20. 2. *Reg. cap.* 18. *Judith. cap.* 5. *Thucyd. hiſt. lib.* 5. *Liv. hiſt. lib.* 9. Rectè huc Seneca, *epiſt.* 4. *Illâ die qua luſerant navigia, abſorbentur.* Gedeon hoſtium caſtra evertit, quòd ſecuri eſſent, nihil adverſi formidantes pati, *Judic. cap.* 8. Addatur Tractatus, vom Spaniſchē Schläfftrüncklein den Teutſchen bereitet/ quem exhibet *Caſpar Londorp. Actor. publicor. Tom.* 2. *lib.* 3. *pag.* 921.

63. Attendendum prudenter ad orientium motuum cauſas, ubi ſi minima lateat, quæ adverſus nos incendi queat ſcintilla, dubitare religio erit, quin non armatum eſſe periculoſum ſit. In mari procellis agitato, incautè agere videtur, qui rem omnem ventis concredit, nec remorum, ſi liceat, utitur auxilio. Imprudens ille judicatur, qui nimbo inſtante, nullum ſub arbore vicinâ quærit refugium; vel qui ictu lethaliter inferendo nudum ſe opponit atq; inermem, nullo ad defenſionem contectus clypeo. Pacis tempore munitæ ſint urbes, præſidiis inſtructa fortalitia, non tantis, ut oneri vix ferendo ſint provincialibus, nec tam exiguis, ut defenſioni neceſſariæ impares exiſtant. Hac laude populos Tacitus exornat: *quòd utroque & pacis & belli tempore parati ad arma degant.*

64. Opus milite eſt ad coercendos ſubditos, & propulſandum exterorum violentiam. Duces eligendi ex nationibus diverſis; facit quippe ingeniorum diverſitas ad unionem ſervitii. Imperator peregrinus conſtituatur, cujus lateri adjunctus ſit ex noſtratibus quidam diverſo titulo decoratus. Sic ille ad fidei oſtentationem rectè functurus eſt officio; Hic, actionum illius obſervator. Si ſubditus ſit probatæque fidei, & multæ apud hoſtes exiſtimationis arctatum limitibus imperium teneat, nec ſtipendiorum militibus ab ipſius manu expectatio. Milites, ne otioſi fiant, in continuis detineantur exercitiis. Officialium electio ab ipſo Principe peragatur. Hoc modo major in iis, qui beneficiis affecti ſunt, fides generatur promptiusq; obſequium.

65. Inſerviendum occaſioni, quam fata ſuppeditant; hac ita utendum, ne ſperatus ex illâ fructus è manibus elabatur. Ad omnia cogit neceſſitas; ſecuti autem non eodem tempore perfectè naſcitur, ſed infantiam ſuam habet & adoleſcentiam, ita confeſtim illi opponendæ non ſunt vires, quas adultior ipſius ætas requireret. Sicuti principium, augmentum, ſtationem & defectum habet, ita notam effugere non poſſet politicus, ſi in omni ejus ætate, eàdem agendi formâ procederet. Nec ejuſdem naturæ ſunt omnia anni tempora. Vernale exercituum apparatibus, æſtivum exercitio militari, brumale quieti deſtinatum eſt. In iram cœli erumpunt, ſi operationes ſuas impedire homines non vereantur. Cum naturâ contendere facinus audax eſt; cum cœlo temerarium; ſine ſpe commodi imprudens. Obſtat in mari ventorum rabies; in terrâ continente tot tamq; varii emergere caſus poſſunt, quos neq; oculi prævidere, nec manus amoliri poſſunt.

66. Nihil inter mortales immortale eſt, nec aliquid reperitur, quod non mutationi obnoxium ſit, Deitate exceptâ.

Ideo ſani judicii eſſe non reputatur, qui uni ſemper eidemque decreto inhærere conſtituit, cum pro variis rerum, perſonarum, temporumque circumſtantiis mutanda ſint conſilia. Imperiorum, conſervatio ſcopus omnium Regnantium immotus eſt, diverſis interim eò mediis contendunt. Unâ viâ quidem prudens, ſed non iiſdem ſemper paſſibus utitur. Virtutes ſummæ Ducis qui animo præditus eſt heroico, in eo potiſſimum conſiſtunt, ut audacter hoſtem aggrediatur, & rectè uti ſciat occaſione. Sæpe enim expedit Regnantibus jus ſuum non ſtatim proſequi bello, quòd dubiæ ſint armorum fortunæ, ſed præſtolari opportunas bellandi occaſiones. Quo caſu inter artificia prudentes habent, ſoporare hoſtes, per fictos pacis tractatus, exhibita benevolentiæ officia, prolata in ambiguum ſenſum verba, interpoſitionem amicorum, ut demum hoſte ad ſomnum diſpoſito, id executioni mandetur, quod certum polliceri commodum videbitur. Si felices appareant ſucceſſus, urgendi ſunt illi, ac Numinis injuriam ſuam ulciſcentis favori inſtandum, ſpatio colligendi ſe ex ſtrage, fugâ, animique conſternatione, hoſtibus minimè conceſſo; ne majores vires poſt caſum reſumant, neu qui uno ictu deleri potuerunt per intervalla petiti reſpirent.

67. Nec eadem locorum conditio eſt; florens Status cum cibo comparatur ex arte condito, qui facile alicui, qui abſtemius non eſt, excitare appetitum poteſt. Naſcuntur ſubito prætextus, exſurgunt ex improviſo prætenſiones, ipſa ſæpe vanitas ſubſiſtentiâ velatur. Huc mentem habuiſſe directam videtur Cominæus, lib. 6. Comment. pag. *497. ubi, à collocutione,* inquit *rediremus Ambianum, Rex in itinere mecum de duabus rebus præcipuè loquebatur. Primùm animadverterat, Eduardum Angliæ Regem facili negotio potuiſſe impelli,*

 pelli,

pelli, ut Lutetiam veniret; id moleſtum erat eis nàm formoſus, dicebat, eſt Princeps & elegans, delectatur conſuetudine mulierum: facilè fit, ut Lutetiæ aliquam reperiat delicatulam, cujus amore & ſuaviloquentiâ captus, cupiat eò ſubinde redire: atque majores ipſius nimium ibi inveterarunt. Quamdiu intra regni ſui fines ſeſe continebit, expeto illius amicitiam; citra mare autem non poteſt ulla mihi cum eo firma eſſe aut certa ſocietas.

68. Non incommodè huc referri poſſunt, quæ ex Auſonio, in Genealogia Franc. pleniori Aſſertione Blondellus memorat, pag. 109. *Mons in præcipiti ſuſpensâ mole tumeſcit, elato vertice regnat apex, quem Muſella tumens, Rhodanus quoque parvulus ambit, certanturq; ſuo paſcere piſce locum; Diripiunt dulces alibi vaga flumina fruges; hæc tibi parturiunt (Mediolane) dapes, &c. Cernit frugiferos congaudens incola ſulcos, &c. Oblectant animos mollia prata vagos, &c. Monti impoſitus mons erat ipſa domus, &c. Ardua marmoreis ſuſpenditur aula columnis; Qua ſuper æſtivas cernit in amne rates, &c. Turris ab adverſo, quæ conſtitit obvia clivo, Sanctorum locus eſt, arma tenenda viris, &c. Vinea culta viret, quo fuit ante frutex, inſita pomorum paſſim plantaria ſurgunt, &c.* Placet hinc provinciarum amoenitas, allicit agrorum fertilitas, attrahunt incolarum divitiæ. Quæ cuncta per exploratores vident proci æmuliq́ue, viſa cupiunt, utq; cupitis potiantur, oculorum pervigilio, mentis ſagacitate, laboreque indefatigabili eniuntur.

69. Facere huc poteſt Mardonii apud Herodotum oratio lib. 7. pag. 385. Edit. Francofurt. Qui, finitâ Xerxis propoſitione, ſic infit: *Domine, tu verò non modò ſuperioribus, Perſis, ſed etiam venturis es præſtantior; qui cum alia & optima & veriſſima commemoras, tum verò quòd Jones qui Europam*

ropam inſolunt, non ſines habere ludibrio nos; minus quàm ipſi ſunt ludibrio dignos. Et enim res indigna eſt, ſi Sacas & Indos & Æthyopes & Aſſyrios, aliasq́; multas ac grandes nationes, quæ nihil Perſas læſere: tamen potentiæ prolatandæ cauſâ in provincias redegimus. Græcos qui nos laceſſere injuriâ inceperunt, non ulciſcemur, quidnam metuentes? quas illorum copias? quam pecuniarum vim? Eorum pugnam novimus, eorum novimus vires imbecilles. Quos ipſe quoque expertus ſum, quum eis juſſu Patris tui bellum intuli: Ac mihi, cùm in Macedoniam usq; proceſſiſſem & pœnè uſque ad ipſas Athenas nemo pugnaturus occurrit.

70. Aſt ſuperanda prudentiæ legibus accidentia, ac fortè hac uti regulâ juvabit: *Si poſſis reſiſtas*; hoc quippe inter mortales peſſimum eſt, derivare in propria viſcera incendium, & bibere per electionem venenum. Si propriis orbatus exiſtas viribus, ab extraneo, ut jam dictum, illæ procurandæ ſunt brachio; aut fiducia in alterius Principis ponenda eſt cautione. Si nullum appareat diverticulum, facilitas in concedendo fugienda. Si potentis perterreant vires, hoc apud alios Principes excuſabit factum, ſi, cùm reſiſtere non poſſis gratiam feceris. Valens Imperator, cùm Gothos evocaſſet in ſubſidium contra Thraces, licet juncti admixtiq; ſuis legionibus, tumultus tamen evitare ſeditionesque non potuit. Turciâ Græciæ Imperatoribus adſciti, Græciæ invadendæ occaſionem quæſiverunt. Res per infinita hiſtoriarum firmari poſſet monumenta, quæ intacta tranſeuntur, cùm pro catholicâ veritate inter Politicos habeatur: periculoſum ſemper eſſe, pro Status defenſione peregrinorum uti auxiliis; extra rationis terminos, tot evocare, ut numero noſtrum ſuperent militem, exutatque auxiliantium naturâ, ſi velint, noſtras occupare queant provincias.

71. Rem hanc tangit Paul. Paruta, Diſcurſ. Polit. lib. 1. cap. 14. pag. 226. Edit. Venet. *Eſſendo generale, e vera regola nelle coſe di Stato, non doverſi per proprio ſollevamento valere di forze ſtraniere, che ſiano di molto ſuperiori, e piu potenti delle proprie; poiche coſi convienſi dipendere dalla voglia altrui, laquale, dove ſi tratta di dominare, ſuole eſſere piu pronta à procurarſi il commodo, e la grandezza propria, che ad oſſervare la fede, e à ſtimare il beneficio altrui, benche di amico e confederato.* Miſeros eſſe homines exclamat Auguſtinus, de vera Religione, cap. 53. *quibus cognita vileſcunt, qui novitatibus gaudent, ac libentius diſcunt quàm norunt.* Et Plinius, lib. 8. cap. 28. ad Maximum ſcribit: *Admoneam te, ut quæ ſcis teneas, aut ſcias melius.* Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Hinc P. M. F. Joſeph. Laynez. Reg. Hiſp. Majeſt. Concionator, in tract. del Privato Chriſtiano, cap. 17. §. 2. pag. 106. Edit. Madrit. *Feliz la prudencia es la que la cautela en peligros agenos; porque quando para ſaber, ha ſido neceſſario peligrar, fuera de que eſta ſabiaùria, ſe voluntariamente ſe entrò en el peligro, es baſtarda por aver nacida de imprudentia tene menor de felicidad lo que coſtò.* Hæc pro inſtituto ſufficiant, quorum defectum uſus ſuppleat. Acies quidem ingenii eruditione acuitur, at vis agendi multis experimentis rerumq; tractatione; Utrâque exornatus, in præteritarum rerum laude, in præſentium utilitate conquieſcet.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

RECtè Sacerdotem confeſſuro denegaſſe hoſtiam non conſecratam, in caſu quem recenſet Thuanus, lib. hiſt. 43. affirmamus.

II.

Damnanda eſſe cenſemus Anabaptiſtarum dogmata, quibus contemptâ Magiſtratus ord. autoritate, novâ Chriſtianis vivendi ratione opus eſſe maleferiati contendunt.

III.

Sacrarum rerum curam ad eum ſpectare exiſtimamus, penes quem jura Majeſtatis reſident, exploſis, quæ in ſententiam contrariam vulgò afferri ſolent, rationibus.

IV.

Non licere arbitramur Magiſtratui civem innocentem hoſti ad internecionem dedere, licet exinde ſperari queat Reipubl. ſalus nec teneri civem ad ſpontaneam ſui deditionem, pro avertendo à reliquis concivibus periculo.

V.

Non injuriâ, non tamen absque damno pulſos quondam ex Hiſpaniæ regnis Mauros fuiſſe cenſemus.

VI.

Auferri civibus quibuſdam jura quæſita poſſe concedimus, ſi extrema urgeat neceſſitas, Nec Caſſii ſententiam flagitii arguimus, qui apud Tacit. lib. 14. Annal. inquit. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publica rependitur.

VII.

Ex differentibus civium moribus enatas Rerum publ. diverſas formas Plato cenſuit, lib. 8. de Republ. Ex variis vitis, quibus ad felicitatem civilem homines tendunt ratus eſt Ariſt. lib. 7. polit. Inter quos nullam eſſe putamus diſcrepantiam; ſignificantius tamen res hac affectuum vocabulo exprimi poſſe videtur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.